A

O

NSA,

a,

nodis

in

ate

CA.

SO

TIS.

RHETORICA INSTITUTIO

IV. LIBRIS COMPREHENSA,
Præceptis brevibus instructa,
facili methodo disposita,
exemplis illustrata,

Cum adjecto Præambulo de modis Amplificandi.

Pro usu

Academicæ Juventutis in Alma Studij Universitate Cracoviensi,

ACCOMMODATA.

Anno Domini 1722.

CRACOVIÆ,
TYPIS ejusdem UNIVERSITATIS.

M. MARTINUS WALESZYNSKI,

S. Theol: DOCTOR & Professor, Collega Major, S. FLORIANI CANONICUS, Scarbimiriensis & S. MICHAELIS in Arce Crac: CUSTOS, Montis S. GEORGIJ in Scepusio Præpositus, Scholarum Novodvorscianarum & Contubernij Hierosolymitani PROVISOR, Librorum per Diœcesim Crac: Ordinarius Censor, Studij Universitatis Crac: Generalis

RECTOR.

POstquam Scholarum Novodvorscianarum Provisoratûs, moxq; Generalis RECTORATûs VNIVERSITATIS Officium suscepimus, totum animum nostrum, curamq; admovimus, ut profectui Studiosæ Juventutis consuleremus, ne oleum & operam, simulq; tempus, quod ei pretiosum est, perderet, præcavendo. Et licet in ijsdem Scholis omnia ad præscriptas regulas & amussim currerent, Rhetorica tamen institutio quæ eloquentiam parat, tantopere cunctis, sed maximè Polonis ad obeunda publica munia, ne-

ces-

cessariam, facilitate majore visa est egere. Haec enim dum mediante calamo priùs in paginas, antequam in animos influeret, omniq; semestri mataretur, manus scribentium fatigando, temporis jacturam faciebat, quod in formandum stylum suffecisset, stabiliendam, praeloq; firmandam censuimus; sed absterrebat usûs antiquitas, cui quò longior est, eò major tribui solet veneratio. Vicit tamen boni majoris ratio, in commodum Eloquētiae Candidatorum derivandi; qui dum praecepta legent, tempus habebunt quô ea ad praxim reducant, datis exemplis instructi, & Docentis diligentiâ invitati. Nihil hîc nostri est, dispositionem rei gerendae, & perficiendae curam si excipias, quae sedulum protunc Rhetoricae Professorem incitavit, ut ex probatis Authoribus excerpta colligeret, redacta in ordinem expoliret, usui Discentium porrigenda. Quidquid est, Vestri causa est Eloquentiae Candidati, quos ut Generis claritudo facit Jllustrissimos, ita modestia & diligentia commendatissimos. Alij titulis Capitaneorum, Palatinidarū, Castellanidarū, Comitum, ijsq; qui ab Officijs Regni & Palatinatuū petuntur, praecellentes, alij solâ vetustâ Nobilitate, quae in Republica libera compendium decoris est, insignes, meliora charismata aemulamini, nisu in virtutem & eruditionem, citra contemptum caeterorum, quos nascendi sors infra Vos posuit, concordes. Volupe est videre vos ex utraq; Polonia, Lithvania, Prussia, Curlandia, vicinisq; etiam Gentibus, Hungaria, Silesia in Eloquentiae Scholam, numero solitò majori delatos id

non nisi contendere, ut, neuter alteri herbam porrigendo, quisq; suam palmam habeat. Hæc sola inter vos contentio, sine animorum dissensu, quē nec diversorum Climatum genij, nec honorum tituli, nec generis aut opum disparitas, nec ætatis fervor inspirat: Vnde Provisori Vestro delicium, Professori gloria, Vniversitati, ad quam id totum collimat, consolatio. Vetus hæc, quia jam quartū seculum decurrens, non tamen effeta Mater, Filiorum copia, sicut novellis olivarū senium suum oblectat; quibus dum lac eruditionis propinat, omnem probitatē instillat, ut suis Majoribus non minores Heroas efficiat, ECCLESIÆ, ac Patriæ profuturos, sibiq; decus & tutelam daturos. Agite ergo JUVENES NOBILISSIMI; ex porrectis in Institutione Rhetorica floribus mel eloquij sugite, bono publico propinandum. Horum spinæ non vos terreant, quas etiam apes in rosis haud metuunt, dum mellificant. Durate, cæptis insistite, ad exitum, qui acta probare solet, deducite; & hæc meminisse juvabit. Hoc tibi Studiosa IUVENTUS insinuamus; jam verò Rhetoricæ Professoribus tam in Collegio Novodvorsciano, quàm in omnibus Colonijs Academicis, per hoc Regnum amplissimum sparsis injungimus, & pro Officio nostro Rectorali mandamus, ut hanc non aliam Institutionem Eloquentiæ Studiosorum animis instillent, explanando facilitent; ejus præcepta ad praxim quotidianam, loco antiquæ dictationis, reduci curent, sic rejecta variatione Authorum, quæ memoriam confundit, majori commoditati tyronum consulturi.

Datum in Collegio Majori
V. Idus Julij.
Anno Verbi Incarnati MDCCXXII.

ILLUSTRISSIMO
AC
MAGNIFICO DOMINO,
D. HIERONYMO
COMITI in Zywiec & Pieskowa Skała
WIELOPOLSKI,
CAPITANEO
ZARNOVECENSI,
PALATINIDÆ
SIRADIENSI &c.
Domino Patrono
Colendissimo.

INstitutio Rhetorica ex umbris Academi prodit in lucem, hoc est, in splendorem Magnæ Domûs Tuæ se se insinuat. JLLUSTRISSIME DOMINE.

Quid enim est in hac versari, nisi in luce, quæ Solis æmula in chorizonte Polono nulli cedit, supremam si excipias; si excipi potest, quæ ipsi jungitur, per Affinitatem olim Majestati JOANNIS III, Regis proximam. Quòd si originem ejus spectes, coævam Poloniæ in Throno Sarmatico inter XII. Palatinos, per unum ex Toporeis, qui Szafrancijs, ac per hos Wielopolscijs ortum dedit, eam videbis. Nempe Domus hæc Illustrissima, primò Asciata, postea per discordiam Fratrum in ZŁGOTA, abnegata Asciam, quæ Magni Herois cor lancinaverat, ex Gentilitij stemmatis scuto in galeam rejecit, ut illud Equus, Starykon pro Starza dictus, antiquitatem suam retinendo, repleret, quò strenuus in Germanico bello stipendia meruerat. Hic ab abnegatione Zaprzaniec, postea corrupto vocabulo Szafraniec, donec, in Wielopole Dominus, Wielo-

pol

polſcius dici meruerit; ſub diverſis Nominibus ſemper idem, id eſt, meritis & honoribus ſemper magnus, virtute maximus. PETRUS SZAFRANIEC ſub Ludovico Rege titulum Comitis in Pieſkowa Skálá ſortitus eſt; qui in JOANNE Cancellario, ac mox Primate Regni olim cùm fulſerit; per tot Palatinos & Caſtellanos, ac ſex ſucceſſivè Cracovienſes Succamerarios, Petri nomine inſignitos, jure ejuſdem ſangvinis in Wielopolſcios defluxit. Zywecenſi per CHRISTIANAM KOMOROVIAM, Tuam Illuſtriſſime Capitanee Paternam Aviam, jungendus. Sic ex SZAFRANCIIS WIELOPOLSCII quid non egêre, ut nomen ſuum, quod magnum Polonum ſonat, adimplerent! Eorûm Nomina non numeramus, ſed ut Numina veneramur; quorum longus ſyllabus quemadmodum capi nequit, ita Majeſtas brevi pagella coar-

ctari non patitur. Quosdam nonnisi reverenter attingimus, ut ex his cæterorum pateat magnitudo. GASPAR WIELOPOLSKI, *Tuus Abavus postquam in Castris insenuisset, Principatum Nobilitatis, toties in Domo sua repetitô titulô, Succamerarius Cracoviensis ita gessit, ut nunquam recti limites excesserit.* JOANNES WIELOPOLSKI *Proavus, Castellanus Woynicensis eò ingenti fama evasit, quò solet stupor, non cæterorum imitatio. Apud* FERDINANDUM III. *Imperatorem (qui ut tanti Viri merita coronaret, titulum S. R. Imperij Comitis, ejus domestico adjunxit) posthac apud* LEOPOLDUM I. *Legatus Magnus tantum effecit, quantum commodo Patriæ tunc fatiscentis erat satis. Tandem Palatinus Cracoviensis zelozissimus pro Domo Dei Orator, inimicam ei luem ex ore blasphemo Arij ortam Regnô eijciendam persvasit,*

sic

sic unico Verbo, quod semel in æternitate DEUS locutus est, felicitatem Patriæ concludendo. JOANNES WIELOPOLSKI *Avus, supremus Regni Cancellarius, primus in Zywiec, sed ab antiquo in Pieskowa Skálá Comes, Paternarum virtutum & Nominis hæres, quem personatam Intelligentiam rectè dixeris, dum in Regno Liliorum coram* LUDOVICO XIV. *ac postea in Togato Gentis Venetæ Senatu, Magni Poloniarum Regis,* JOANNIS III. *Orator ac Affinis, rosas locutus est, etiam inter Sarmatas nasci Mercurios ostendit. In Natis suis;* LUDOVICO *olim Pocillatore Regni;* JOANNE, *post fata in generosissimo animo Filij sui,* ALEXANDRI *Opoczensis, & Rabstynensis Capitanei gloriosè superstite; ac* JOSEPHO *Neoforensi Capitaneo, magnas dotes suas & virtutes reliquit, quas omnes* JLLUSTRISSIMUS

&

& EXCELLENTISSIMUS DOMINUS FRANCISCUS COMES *in Zywiec & Pieskowa skáłá* WIELOPOLSKI, *Palatinus Siradiensis, Generalis Minoris Poloniæ, Cracoviensis, Lanckoronensis, Præmykoviensis &c. Capitaneus, Magnus Parens Tuus collegit, ut unus teneret, quæ divisa alios fecêre beatos. Heroem hunc dum nominamus, omnia decora diximus, quibus ille refulget. Postquàm vix prætextam exuerat, apud* JACOBUM II. *ringente hæresi, Angliæ Regem, deinde apud* INNOCENTIUM XII. *Pontificem Maximum Legati Officiô gloriosè functus, palàm probavit, non in barba Sapientiam esse. In Palatinatûs Cracoviensis Comitijs Mareschallus, summâ prudentiâ; in Areopago Capturali Præses, miti severitate, non dissolutâ clementiâ; in generali Regni Conventu Nuntius, generosâ activitate inter reveren-*

rentiam Majestatis, & prærogativam libertatis medius, procul à deformi obsequio, magnitudini Wielopolsciana, & Eligentium votis ex asse respondit; semper moribus gravis & innocens æqui boniq; tenax, fallere, se ipsum verbis venditare nescius, nemini molestus, omnibus comis, animo sublimis, non elatus; quem vel ipsa corporis specie dignâ Imperiô, & oris majestate visendum nec Majorum Ceræ, nec solida eruditio, nec honorum tituli, nec opum affluentia inflant, ut etiam hinc sciamus solam in eo prædominari virtutem. Utimur compendio: Magnus Senator, felicißimus trium protunc Filiorum (plures bono Patriæ optamus) & unius Filiæ Pater; quorum CAROLUS & JOANNES *suis titulis insignes* TERESIA CAROLI TARŁO *Cancellarij Regni Filiâ geniti, exoticos soles, quid calleant, non quomodo caleant, dum lustrant,*

FRAN-

FRANCISCA *germana Soror elegit abjecta esse in Domo DEI, & in umbris Magni Francisci latet; si latere potest, quæ fulget velut inter ignes Luna minores. Iam si Maternum Tuum Genus perpendimus; altius est, quàm attingi queat: Oratores infra se ponit, ac ne cogitari quidem potest sine reverentia. Olim in antiquis Imperatoribus Romanis Augustum, nunc Celsissimum. Ab Aurelio Druso, Lechi ex Illyrico in Sarmatiam Comite, longo ordine per Heraclium Exercitûs Præfectum, ac Nicolaum Palatinum Cracoviensem, plurimis alijs mediantibus, ad Adrianum Drusum, ac ejus Filium Ioachimum deductum, novum Nomen induit, cùm de Lubomierz vocari cæpit Lubomirscium. Purpurata sunt hic omnia, totusq; ex antiquo Senatus, ac summa per Affinitates Celsitudo; quas si recensere velles, totam moveres Poloniam, & intuitu*

EL-

ELECTORIS *Palatini Rheni, non pridem unius Principis Lubomirsciæ Mariti, in suis Majestatibus Europam. Hujus tam præclari Generis Gemma, Parens Tua* ANNA, HIERONYMI *Comitis in Wisnicz & Iarostaw* LUBOMIRSKI, S. Romani Jmperij Principis, *Castellani Cracoviensis, Supremi Exercituum Regni DVCIS, Boguslaviensis, Smotrycensis, Ryczyvolensis &c. Capitanei, Filia, tot titulis Celsissima, quibus est major; hos tamen innuimus, ut sciatur, quantos superet, naturæ & animi dotibus locupletissima. Vis ingenij, maturitas judicij, mentis robur supra sexum; quem pietate, morum elegantiâ, fide intemeratâ, in Divos liberali cultu, in egenos munificentiâ exornat pulcherrimè. Unde ipsi ingens gloria, ex concordi usq; ad admirationem conjugio felicitas, ex* TE *solatium. Quidni ita? in ætatis decen-*

nio

nio nihil in TE parvum, præter corpus; quod etiam annis suis majus in molem properat, ut magnitudini animi tui respondeat. Absit adulari, mentiri, fallere; ars Academo nostro ignota, scapham pro scapha, lintrem pro lintre appellare solito, dum TE prodigium quoddam naturæ & ingenij esse fatemur. Ludis in Paterna Aula Nobilior Ascanius, sed ludum literarium, illuc tendens, quò TE & Pater Æneas, & non unus Avunculus excitat Hector. Parnasso alieno non eges, cùm domi Tuum Pegasum habeas, & in Matre Principe, cum Gentilitiò, pro Hypocrene, Sreniawa, Musas. Stupent TE cuncti, dum jam quatuor idiomatum, historiarum, Geographicæ cognitionis, non expers sensus tuos lance judicij ponderatos ore rotundo profers, argutis responsis explicas, comitatem, gestu ad gratiam flexo, vultu ad magnanimitatem com-

po-

posito, oculis generositatem, & magnitudinem Wielopolscianam spirantibus exprimis, vera Magni Patris imago. Quis hæc crederet in tantilla ætate? manifesta tamen sunt TE noscentibus, & tam Paterni, quàm Materni Generis decora in TE mirantibus. Institutio Rhetorica tantis tuis splendoribus spectatißima in publicum ecce prodit, gaudetq́ videri, ut ex ijs Eloquentiæ Candidati materiam ornatè & copiosè de TE dicendi præstò habeant. Majorum Tuorum exemplis ducentur ad optima; quos dum per Fasces numerabunt, in maximæ laudis assument argumentum, in eorum venerationem eruditi. Tuâ diligentiâ ad studium Eloquentiæ incitabuntur, ut tempestivè vim dicendi acquirant, quâ TE honorum culmina scansurum excipiant, virtutibus Tuis applaudentes. Quidquid dicent, etsi non ex artificio, bene

ta-

tamen ex Tuo Nomine erit magnificum. Perge ergo JUVENIS MAGNANIME *quâ cæpisti; Excellentissimi Parentis Tui, qui decorum, à Majoribus suis sumptorum compendium est, vestigijs insiste, augurijs, quæ de TE sunt maxima, responsurus. Vota auspicijs non desunt, quibus TE ad Sacros Magni* CANTII *Cineres reverenter prosequitur*

Illustrissimo Nomini Tuo

Devinctissimum

Collegium Majus
Studij UNIVERSITATIS
Cracoviensis.

PROÆMIUM RHETORICÆ.

PRoæmium hoc præmittitur, nè opus Rhetoricum, quasi structura quædam sinè fundamento, magnum sit in rebus inane; dividiturq; in duas Partes: in quarum *ima* de Natura & Præliminaribus Rhetoricæ præceptis agitur. *In 2da* consulendo tyrocinantium faciliori in oratoria facultate profectui, doctrina de Amplificatione adfertur.

PARS I. PROÆMIJ.

De Natura & Præliminaribus Rhetoricæ Præceptis.

Pars hæc IV. absolvitur Paragraphis.

§ I.

De Natura, Divisione atq; Differentia tum Rhetoricæ tum Rhetoris.

QVid est Rhetorica? *Quò ad Nomen* est fluidè dicendi scientia. Deducitur enim ex Græco verbo *Rheo*, quod significat fluo & *Tyki*, quod significat scientiam. *Hinc est* quòd Oratio juxta præcepta Rhetorica scripta, fluminis instar fluere & decurrere debet.

Quò ad rem Rhetorica est ars, quæ viam & rationem, bene, prudenter, ornatèq; dicendi, de qualibet re proposita tradit.

Dicitur *Ars*, ideo, quia complectitur præcepta Orationis rectè conficiendæ; quæ si quis diligenter observaverit, minimè in componenda oratione poterit aberrare. *Vel* adhuc ideo dicitur *Ars*, quia connumeratur inter 7. Artes liberales, hoc Disticho comprehensas.

Gram: loquitur; Dia: vera docet; Rhet: verba colorat.
Mus: canit; Arth: numerat; Geo: ponderat; Astr. colit astra.

Dicitur, quæ viam & rationem tradit; ideo, quia Rhetorica quasi manu ducit Oratorem ad componendam orationem.

Dicitur prudenter ornatèq; ideo, quia prudenter-

dentiæ & ornatui, veluti duobus fulcris tota innititur Eloquentia, quorum ſi demas alterutrum, totum ruere neceſſe eſt. Nulla ſiquidem Eloquentia eſt, ſinè prudentia & ornatu.

Dicitur deniq; de qualibet re propoſita, ideo; quia Oratoris munus & officium eſt, ut unamquamq; rem prudenter, copiosè ornatè eloquatur, atq; explicet.

Rhetorica eſt duplex. Naturalis & Artificialis

Naturalis eſt facultas quædam dicendi unicuiq; à natura indita, quam etiam plurimi ignari præceptorum, non tamen perfectam habent

Artificialis eſt facultas, quæ per artis Rhetoricæ præcepta, aſſiduo comparatur uſu, naturalemq; dicendi promptitudinē excolit ac perficit.

Quis eſt effectus Rhetoricæ? Eſt Eloquentia. *Eloquentia verò eſt* copiosè loquens ſcientia; *ſeu* eſt vis & facultas quædam videndi, quid in unaquaq; re probabile ſit & ad perſvadendum aptiſſimum.

Differt Rhetorica ab Eloquentia eô; quia Rhetorica eſt Cauſa, Eloquentia eſt illius effectus.

Quô differt Rhetorica à Dialectica, & quo conveniunt?

Differt duobûs: *1mò Tractatione*: quia Dialectica breviter & concisè; Rhetorica verò fusè & ornatè de rebus tractat. Unde à Principe Stoicorum Zenone, illa manui contractæ, hæc verò diductæ assimilatur. *2do Intentione*: quia Dialectica illius rei de qua disputat, inquirit, inquantum fieri potest, veritatem; Rhetorica verò saltim opinionem illius rei, de qua disputat, in animis Auditorum parare intendit.

Conveniunt autem 3bûs *1mò Materiâ*, seu *Objecto*: quia utraq; tractare potest de omnibus illis, quæ in dictionē cadere possunt.

2do Fine: quia utraq; pro fine habet persvasionem, Rhetorica sc: dictione, Dialectica argumentatione.

3tio Instrumento: quia & Orator, & Dialecticus utitur argumentis ad persvadendū accommodatis.

Quô inter se differunt Rhetor, Orator & Declamator?

Eô: quia *Rhetor est*, qui benè & ornatè dicendi præcepta tradit. *Orator est*, qui juxta eadem præcepta, ornàtè & copiosè de unaquaq; re disserit. *Declamator*, qui exercitij causâ, suam *vel* alienam orationem declamat.

Quô differunt inter se Eloquens & Disertus?

Eô: quia *Eloquens est*, qui Oratoriè, id est juxta præcepta Rhetoricæ loquitur.

Diser-

Disertus, qui, quamvis copiosè loquatur, non tamen oratoriè, neq; secundùm præcepta, sed tantùm vi solius naturæ.

§ II.
De Præsidiis parandæ Eloquentiæ.

PRæsidia parandæ Eloquentiæ sunt IV. Natura, Ars, Imitatio & Exercitatio.

NATVRA est bonitas & aptitudo naturalis animi & corporis, innata homini, & ad comparandam Eloquentiam opportuna.

Natura confert *bona duplicia* ad Eloquentiam; *Animi & Corporis.*

Bona Animi sunt: celeres ingenij motus ad inveniendum; judicium & prudentia ad disponendum; facundia ad eloquendum; memoria ad faciliter percipiendum & firmiter retinendum.

Bona Corporis sunt: firma valetudo, vox pulchra, svavis, clara & sonora, lingva expedita, robusta latera, faciles ad respirandum pulmones, vultûs & omnium membrorum debita compositio.

ARS Est habitus præcepta oratoriæ facultatis continens.

Ars ad Eloquentiam confert, *1mò* viam & rationem dicendi; *2dò* correctionem naturæ malæ & perfectionem bonæ; *3tio* apti-

ptitudinem ad iudicandum de eloquentiũ virorum ſcriptis.

IMITATIO *eſt* obſervatio rerum & verborũ illuſtrium, in bonis & probatis Oratoribus. *ſeu* eſt artificiosa animi ad exemplum alicujus applicatio.

Eſtq̃, triplex: Verborum, Sententiarum, ſeu Loci communis, & integri Argumenti, ſeu Orationis, aut ſaltim majoris ejus partis, *vg.* Exordij, Narrationis. &c.

Imitatio Verborum eſt, cùm verbum verbo ſubſtituitur, *vel* periphraſticè explicatur. *vg. mori*, aliter diceres, *fatis cedere, extremum vitæ conficere diem, vitam cum morte commutare, ultimam vitæ attingere periodum.*

Imitatio Sententiæ, ſeu *Loci communis* eſt, cùm eadem res varijs modis exprimitur. *vg.* Livius habet locum communem talem: *ſi quid injunxeris inferioribus, id priùs ipſe facias, & ſic faciliùs omnes obedientes habebis.* quem locum Claudianus ſic exprimit.

In commune jubes, ſi quid cenſesq̃, tenendum,
Primus juſſa ſubi, tumq̃, obſervantior æqui
Fit populus nec ferre vetat, cùm viderit ipſum
Authorem parere ſibi.

Imitatio Argumenti eſt, cùm totam orationem, *vel* magnam ejus partem, ad ſimilitudinem alterius effingimus. *Quod fit dupliciter:*

1mò, si eam in partes distribuamus. *2do.* si partes in singula membra, *vg.* Exordium in Prothasim, & Catascheven, Apodosim & Basim, hæc omnia diligenter perpendendo, & in principia sua redigendo, per Inventionem, Dispositionem, & Elocutionem.

Imitatio confert, ut Inventionem accuratè cognoscamus, structuram & artificium col latorum verborum intelligamus, ut verbîs selectîs, ornatîs, purîs nostram coloremus orationem.

In Imitatione spectandum, ut præstantissimos & in sua Arte peritos Authores imitemur *vg.* *in Eloquentia* Ciceronē; *in Pöësi* Virgilium, Horatium, Ovidium, Claudianum; *in Historia* Livium, Tacitum, Florum, Sallustium, &c. *Cavendum* tamen est, ne alicui nimium adhæreamus. nam tale Imitationis genus servile est.

EXERCITA: est assiduus usus, consvetudoq; dicendi, scribendi, perorandi. Sinè hac enim nec Medicos, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis Artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum consequi posse docet Cic: de Officijs Lib: 1. Nro: 60.

Exercitatio ad Eloquentiam confert, ut examinata, & bene limata sint nostra scripta, ut

ad

ad præcepta Rhetoricæ ſint accomodata, ut memoriam noſtram, in ediſcendis quàm plurimis, ſive noſtris ſive alienis exerceamus.

Modi Exercitationis præcipuè poſſunt eſſe IV. *1mus*, quando aliquam Sententiam alijs verbis efferimus. *2dus*, quando Orationem ligatam in ſolutam convertimus, & è contra. *3tius*, quando, quæ ab alijs fusè dicta ſunt, coarctamus, ſeriem rei cum venuſtate quadam explicando. *4tus*, quando idem diversis modis efferimus, Elocutionis Figuras, membra, ordinem, exornationem immutando, ut, idem licèt ſit, videatur diverſum.

§ III.

De Oratore, Officio, Fine, Inſtrumento & Effectu illius.

ORator eſt vir bonus, dicendi peritus, qui de omni re, quæcunq; acciderit, prudenter, copiosè, ornatè, dicere poteſt, cum quadam actionis dignitate.

Orator eſt duplex: Eccleſiaſticus & Politicus. *Eccleſiaſticus eſt*, qui verſatur circa res divinas & Sacras. *Politicus eſt*, qui verſatur circa res civiles & profanas.

Nomen *Oratoris* ſumitur 4or modis. *1mo.* pro Legatis Principum *2do* pro Deprecatoribus. *3tio* pro Viris in Republica verſantibus

tibus. 4*to* pro disertis Elocutoribus. Antiqui *orare*, sumebant pro *agere*.

Officium Oratoris est, de re quavis proposita dicere ad persvadendum accommodatè.

Officium Oratoris *in tribus* consistit: in docendo, movendo & delectando. quorum primum est necessitatis, 2dum victoriæ, 3tium svavitatis.

Finis Oratoris est, persvadere dictione, *id est* bene dicendo, ita Auditorum animos flectere, ut voluntate accedant ad id, quod Orator intendit.

Differentia inter Finem & Officium Oratoris est: quia *Officium* ostendit Oratori, quid illum curare, scireq; oporteat. *Finis* autem ostendit quid Orator consequi debeat per illa, quæ scit & observat.

Oratoris Finis est Duplex: Internus & externus.

Internus est, qui consistit in rationibus ad persvadendū accommodatis; et hunc semper consequitur Orator, si plenè officium suum exequatur.

Externus est, qui consistit in voluntate Auditoris, ut illi assentiatur, & persvasioni acquiescat; & hunc non semper consequitur Orator: quia non est in ejus potestate; non tamen per hoc amittit nomen Oratoris, *sicut* etiam Medicus, per hoc non amittit

mittit nomen Medici, quamvis non semper sanetur æger, dummodò adhibeat cuncta media ad sanandum, de quo Ovid:

Non est in Medico semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Instrumentum Oratoris est Oratio copiosa, gravis, erudita, verbis, sententijs & Figuris ornata, sensibus animorum, moribusq; Auditorum accommodata.

Oratio est locutio, seu sermonis conformatio, ad persvadendum apta, verbis ac sententijs abundans, numeris & affectibus exornata, atq; ab Oratore dignè prolata.

§ IV.

De Causis Rhetoricæ.

CAusæ, *juxta Philosophum* sunt id, ad quarũ esse sequitur aliud. *vg.* vulnus cordis est causa mortis.

Causæ sunt IV. Materialis, Formalis Efficiens & Finalis.

Causa MATERIALIS est 3plex: ex Qua, in Qua, & circa Quam.

Causa Materialis ex Qua est, ex qua aliquid fit, vg. ex ferro gladius.

Causa Materialis in Qua est, in qua aliquid elaboratur. *vg* in auro *vel* cera, effigies Angeli, *vel* hominis.

Causa Materialis circa Quam, est circa quam

quam aliquid verſatur *vg.* Pòéta circa Verſum. Theologus circa DEUM.

Cauſa Materialis Rhetoricæ *ex Qua* nulla eſt, quia Rhetorica eſt Accidens; accidentia verò nullam habent materiam, ex qua fiant.

In Qua, eſt intellectus humanus, quia illi, veluti ſubjecto Rhetorica inhæret.

Cauſa Materialis Circa Quam ſeu *Objectum Rhetoricæ*, ſunt res omnes, de quibuſcunq; Orator poteſt inſtituere orationem. *ſeu* eſt Quæſtio quælibet propoſita ad dicendum.

Cauſa FORMALIS eſt, ad cuius normam aliquid ſit.

Cauſa Formalis Rhetoricæ eſt Methodus, ſeu modus, aptè diſponens ea, quæ ad univerſam bene dicendi artem pertinent.

Methodus eſt duplex Synthetica, ſeu Compoſitiva, & Analytica, ſeu Reſolutiva.

Synthetica eſt, quâ proceditur à partibus ad totũ. *vg.* Architectus procedit à fundamentis ad parietes, à parietibus ad tectum, ab hoc ad integram domum.

Analytica eſt, quá proceditur à toto ad partes *vg.* à domo ad tectum, parietes &c.

Rhetoricæ Methodus eſt Analytica, quia tota Rhetorica reſolvitur in ſuas partes.

Cauſa EFFICIENS *eſt*, per quam aliquid fit.

v.g. Aurifaber est causa Efficiens annuli.

Causa Efficiens Rhetoricæ Remota, est DEUS; *Proxima verò* in communi, est intellectus humanus.

Causa FINALIS est, propter quam aliquid fit: *v.g.* visio beatifica, est finis hominis, quia ad illam creatus est.

Causa Finalis Rhetoricæ Vltima, est Honor & Gloria DEI, ad quam, tanquam ad præfixũ scopum, ut omnia alia, ita & nostra Rhetorica est dirigenda.

Proxima verò, est futuri Oratoris sufficiens informatio, ita ut secundum illam sciat argumenta invenire, inventa disponere, disposita exornare, exornata pronuntiare, & sic suum absolvere officium.

PARS II.
PROÆMIJ
De Amplificatione.

Cùm tota Eloquentiæ vis consistat in amplificando, hincq; non colorem modò ac lucem, sed spiritum lacertosq; sumat oratio.

elabo-

elaboratè enim loqui, nil eſt aliud, quàm rem ſimplici ſententia contentam amplificare; proinde Eloquentiæ incumbentibus Tyronum ingenijs nihil afferri poſſe hâc doctrinâ videtur melius. Pars iſta diſtinctionis melioris gratiâ dividitur in *IV* §§. In quorum *1mo* de Natura & Diviſione Amplificationis; *In 2do* de Amplificatione Verborum; *In 3tio* de Amplificatione Rerũ *In 4to* de Partibus & Oeconomia Rhetoricæ tractatur.

§ II.

De Natura & Diviſione Amplificationis.

NAturam Amplificationis definivit optimè Cic: in Partitionibus *Num:* 53. ſic: *Amplificatio eſt gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum, conciliat in dicendo fidem.* Sed quia in dicendo fidem facere, propriè competere videturArgumentationi, ideo hìc opportunè quæres.

Quô

Quô differt Amplificatio & Argumentatio? tripliciter, *imo Materiâ*: nam Argumentatio adhibetur ad omnia Quæstionum genera, quæ in dubitationem cadere possunt. Amplificatio verò nonnisi ad magnas gravesq; causas, in quibus videlicet ostendere debebit Orator aliquid in genere suo calamitosum, indignum, lætum, triste, gloriosum, amabile, delectabile, optatum, fugiendum.

2dò Tractatione: quia Argumentatio pressè & argutè rem proponit, Amplificatio verò fusè & graviter: illa veluti ad pugnam leniter procurrit, factâq; plagâ confestim se subducit; ista in apertum & patentem campũ procedit, tela sua tam diu vibrans, donec expugnatus audientium animus concidat.

3tio Fine: nam finis Argumentationis est cognitio, Amplificationis verò motus.

Amplificatio est duplex: Verborum & Rerũ. *Verborum est*, cùm verbis illustribûs, plenis cõsonantibûs, Metaphoricîs, figuratîs & non vulgaribûs distingvitur, & illustratur oratio.

Rerum est, cùm res ipsæ graviùs augentur, dilatantur & exagerantur.

§§ II.

De Amplificatione Verborum.

G*Enera Verborũ Amplificationi servientiũ sunt quatuor*

I. GENUS sunt Verba illa, quæ vim ha-

habent illuſtrandi; quæ ſunt gravia, plena, ſonantia, non vulgata; quæ ſunt ſuperlata, nec in ſingulis verbis, ſed in continentibus ſoluta; quæ dicuntur ſine cōjunctione, ut plura videantur.

Verba quæ habent vim illuſtrandi, dicuntur illa, à quibus potiſſimum lumen accedit orationi, ut ſunt verba translata, ſeu metaphorica, *vg.* flumina, procellæ, fulmina belli. Talibus utitur Cicero pro Milone Num: 35. *Quid odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ? &c* Epitheta quoq; ſubſtantivis addita, atq; verba definitiva rerum, in unum conglobata orationem mirum in modum exornant. His utitur Cic: pro Milone Num: 39. *Erat id temporis clariſſimus & fortiſſimus Conſul, inimicus Clodio, Publius Lentulus, ultor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor veſtræ voluntatis, Patronus illius publici conſeſſus, ſalutis meæ reſtitutor.*

Gravia Verba ſunt, quæ majorem vim ſignificandi habent, *vg.* ſignificandæ vitioſitatis, majorem vim habent, *latro, prædo, raptor, ſacrilegus*, quàm *fur, carnifex, ſicarius*; *parricida*, quàm *homicida*; *impius ac nefarius*, quàm *improbus ac ſceleſtus*. Majorem quoq; vim exprimendi nocumenti habent, *vulnerare & ferire*, quàm *percutere*; *exterminare*, quàm *eijcere*; *trucidare*

quàm

quàm *occidere*; *cruciare*, quàm *torquere*. Gravitatem quoq; conferunt cultæ metaphoræ. ut *patrimonij Charybdis*, *Scylla libidinum*, *vitiorum Hydra*, *malorum Oceanus &c.*

Plena verba sunt, quibus ad significationē nihil addi potest; sicut vas plenum dicitur, cui plus liquoris infundi non potest. sic Cic: pro Mil: Num: 99. *De me semper Populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas.*

Sonantia verba dicuntur illa, quæ vividiorem rei expressionem seu energiam in se continent: possunt autem conquiri & adhiberi orationi ejusmodi verba 6tupliciter: *1mo*, si Superlativa pro positivis ponantur, ut Cic: p. lege Manil: Num: 1. *Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multò jucundissimus; hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendū ornatissimus &c.* 2dò Sonantia fiunt verba, si non singulari, sed plurali numero efferantur. talibus Cic: utitur pro Cornelio Balbo Num: 1mo. *Si authoritates Patronorum in judicijs valerent, ab amplissimis viris Lucij Cornelij causa defensa est: Si usus, à peritissimis; si ingenia ab eloquentissimis, si studia ab amicissimis; &c.* 3tiò. Si pro absolutis verbalia ponuntur, v.g. *dominatrix animi cupiditas*, sonantius est quàm *domina*. Et illud *virtutis indagatrix*, *vitiorum vltrix*, *artium procreatrix*,

Philo-

Philoſophia. 4to. ſi compoſita locò ſimplicium uſurpentur v.g. *contrucidare*, *excruciare*, *conglomerare*, magis ſonant quàm *trucidare*, *cruciare glomerare.* 5to Sonantia illa fiunt, quæ plures Syllabas habent, quàm quæ pauciores. v.g. *tempeſtas* ſonantiùs eſt, quàm *tempus*; *illuſtris*, quàm *clarus*; *immenſus*, *immanis*, quàm *magnus*. 6to, quæ Syllabas habent longiores, etſi numerô pares, meliùs ſonant. v.g. *Princeps* quàm *primus*; *Parens*, quàm *Pater*. *&c.*

Non vulgata verba dicuntur ea, quæ attolluntur ſupra communem loquendi rationē, ne humilis reddatur Oratio.

Superlata verba ſunt illa, quæ veritatem excedunt & plùs dicunt, quàm re ipſa eſſe poſſit. Talia ſunt apud Cic: pro M. Marcello. Num: 8vo. *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.*

Soluta verba dicuntur, quæ ſunt ſinè conjunctionibus, dum unumquodq; verbum ſuum habet ſenſum; *ſeu* ubi plura Aſſyntheta, ſeu ſinè conjunctionibus ponuntur membra. v.g. *me Patriâ expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, populo bellum nefarium indixerat.* Fit autem ſolutio in ſolis Verbis, vel Nominibus. *In Verbis* ut Cic: *cùm illa indicia*

communis exitij indicavit, patefecit, protulit, extinxit. In Nominibus, ut idem Cic: *nos Penates, Aras, focos, sepulchra Majorum, nos leges, jura, libertatem, conjuges, liberos, Patriam defendimus.*

II. GENUS Verborum Amplificationi servientium, sunt: Relata verba, iterata, duplicata.

Relata: quæ respectum habent ad alia, eaq; varia: suntq; in quadruplici differentia: *Imò*, quando paria cum paribus conferuntur. Ut Cic: pro Mil: Num: 10. *Est enim hæc Iudices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.*

2*do*, quando minora cũ majoribus, seu inferiora cum superioribus conferuntur. Ut idem Cic: facit Verrinâ 3tiâ. Num: 9. *Non enim furem, sed raptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum; non Sicarium, sed crudelissimum Civium sociorumq; carnificem in vestrum adduximus conspectũ.*

3*tio*, dũ contrarijs contraria repelluntur. Ut Cic: pro Mil. Num: 100. *Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non malè aliquando de me meriti; sed semper optimè;* 4to. cùm ad unum verbum plures referuntur casus. ut illud: *vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* *Itera-*

Iterata verba dicuntur ea, quæ ſæpiùs initio membrorũ repetuntur. Ut Cic: pro Mil: Num: 18. *Caruit foro poſtea Pompeius caruit Senatu, caruit publico.*

Duplicata verba ſunt, quæ penes ſe poſita geminantur. Ut Cic: *vos vos appello fortiſſimi viri, excitate excitate ab inferis eum, ſi poteſtis.*

III. GENUS Verborũ Amplificationi ſervientium eſt Incrementum, cùm ſc: paulatim & per gradus aſcendit Orator, ab humilioribus verbis ad ſublimiora. His utitur Cic: pro Mil: Num: 89. *Capere ejus amentiam civitas, Italia, Provinciæ, Regna non poterant. &c.*

IV. GENUS Verborum Amplificationi ſervientium ſunt verba verſa ſeu immutata per Interrogationem, Negationem, Circuitionem, Exclamationem. V.g. ſi verba iſtius ſententiæ *Labor omnia vincit*, invertantur. 1mo per Interrogationem ſ. v. s. *Quidnam ſublunari hoc ampliſſimo in Orbe reperitur, quod aſſiduus non vincat labor?* 2do per Negationem. *Nihil omnino tam arduo eſt poſitum in loco, tam difficili locatum aditu, quò labor incitatus paſſibus eniti non poſſit.* 3tio per Circuitionem. *Laboris equidem non intermiſſo conatu quæq; difficillima facilitantur, quæq; inſuperabilia ſuperantur.* 4to per Exclamationem. *O laboris inauditam potentiam! incredibile robur! quo etiam illa, quæ plurimi vix poſſe fieri exiſtimant, vincuntur, ſuperantur.*

§ III.

De Amplificatione Rerum

Cùm Amplificatio præcipuè Rerum, sit quædam Argumentationis species; proinde ex ijsdem planè Locis petenda est, qui ad probandum Thema assignantur; nihilominus Quintilianus ipseq́; Cic: Locos Communes seu Universales, sub quibus alij continentur, recensent IV. Congeriem, Incrementum, Ratiocinationem & Comparationem. Congeries & Incrementum, per omnes Locos Intrinsecos & Extrinsecos effunditur. Iam verò Ratiocinatio & Comparatio in sibi proprijs tantùm sedibus consistunt.

I. Rerum Amplificationis Locus Congeries, quæ est conglobatio quædam argumentorum diversorũ in re gravi. comprehenditq́; sub se multitudinem Definitionum, Partiũ, Causarum, Effectuũ, Consequentium, Attributorum sive Adjunctorum, Similium, Dissimilium, Contrariorum & Exemplorum.

1. *Modus res amplificandi est à Congerie Definitionum*, cùm unius rei plures in unum coacervantur definitiones seu descriptiones Rhetoricæ. Fieri autem hæc definitionũ Congeries multoties potest. *Imò*

Imò per *Causas*, ut quidam sententiam hanc: *Hæresis est pestis Orbis*, amplificat. *Hæresim ego non monstrum appellem, non hominum pestem, ac pernitiem, quàm ex omnium errorum, ac sordium colluvie conflatam excitavit ambitio, concepit impietas, rebellio genuit, educavit bellorum confusio, auxit scelerum libertas, crudelitas pavit, fervida dominandi libido florere fecit, in legum contemptum, religionum violationem, pacis ac salutis omnium destructionem. Quod igitur monstrũ si hoc non est?*

2do fit Congeries definitionum per *Accidentia & qualitates*, fitq; descriptio hæc fusior; nam excurrit per omnia attributa, hucq; referuntur descriptiones historicæ locorũ, temporum, Regionũ &c. Hinc Cic: Remp: definit Rom. Agrariâ 2dâ, Num: 8. *Ego qualem Calendis Ianuariis acceperim Remp: Quirites, intelligo, plenam sollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi expectarent: Omnia turbulenta consilia contra hunc Reip: statum, & contra vestrum otium partim iniri, partim nobis Consulibus designatis inita esse dicebantur. Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novæ calamitatis, sed suspicione ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum: novæ dominationes, extraordinaria non imperia, sed regna quæri putabantur &c.*

3tio fit Congeries definitionum per *Simi-*

lia. Hinc Cic: Curiæ incendium deſcribit & deplorat pro Mil: Num: 91. *An ille Prætor, ille verò Conſul, ſi modò hæc Templa, atq; ipſa mœnia ſtare eo vivo tam diu, & Conſulatum ejus expectare potuiſſent, ille deniq; vivus nihil mali feciſſet, qui mortuus uno ex ſuis ſatellitibus Clodio duce, Curiam incenderit? quô quid miſerius, quid acerbius? quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput Vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo populo Rom. conceſſam, uni ordini inflammari, exſcindi, funeſtari.*

4to fit Congeries definitionum per *Partes.* Ut fecit Cic: Agrariâ 2. Num: 5. beneficij magnitudinem deſcribendo: *Hoc ego tam inſigne, tam ſingulare veſtrum beneficium, Quirites, cùm ad animi mei fructum, atq; lætitiam duco eſſe permagnum, tum ad curam, ſollicitudinemq; multo majus. Verſantur enim, Quirites, in animo meo, multæ & graves cogitationes, quæ mihi nullam partẽ neq; diurnæ, neq; nocturnæ quietis impertiunt. &c.*

II. *Modus Amplificandi eſt à Congerie Partium,* cùm ſc: pro toto partes conglobatæ afferuntur. Ut fecit Cic: Catil: 3tiâ Num: 1. *Remp: Quirites, vitamq; omnium veſtrûm, bona, fortunas, conjuges, liberosq; veſtros, atq; hoc domiciliũ clariſſimi Imperij fortunatiſſimã pulcherrimamq; Vrbẽ, hodierno die, Deorum immortalium ſummo erga vos*

amore,

amore, laboribus, consiliis, periculisq; meis, ex flamma atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conservatam, ac restitutam videtis.

III. *Modus Amplificandi est à Congerie Causarũ,* cùm sc: Causas alicujus rei vel in genere Causæ Materialis, vel Formalis, vel Efficientis, vel Finalis conglobatas afferimus.

A Causa Materiali Cic: Verrem arguendo & furtum ejus amplificando Actione 6. Num: 62. dicit. *Non pauca pocula ex auro, quæ ut mos est regius, & maximè in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas Vinariũ, ex una gemma prægrandi, trulla excavata cum manubrio aureo.* A Causa Formali Cic: Verrinâ 6. describit cum Amplificatione Dianæ statuam Segestæ positam ab Africano, quam Verrem sacrilegum abstulisse docet. Num: 72. *Fuit apud Segestanos ex ære Dianæ simulacrũ, tum summa atq; antiquissima præditum religione, tum singulari opere artificioq; perfectum. Erat admodũ amplum, & excelsum signum cum stola: verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atq; habitus virginalis; sagittæ pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum: dextrâ ardentem facem præseferebat.* A Causa Efficiente Cic: hanc sent: *Literæ maxima bona afferunt hominibus*, amplificat pro Archia Pòeta Num: 16. *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas*

res ornant, adversis profugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. A Causa Finali, sensum hunc: *In quem finem inventum est speculum*, amplificat Natural: QQ. Cap: 17. Seneca. *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta, primo sui notitia, deinde & ad quædam consilium; formosus, ut vitaret infamiam, deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: juvenis, ut flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.*

IV. *Modus Amplificandi est à Congerie Effectuũ*, quando illa quæ oriuntur ex re, quam exprimere sensu intendimus, exageramus. Antonium hostem Patriæ ostendit Cic: cum amplificatione Philip: 5. Num: 24. *At ille, cujus ne paratam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellum intulit Provinciæ Galliæ: circumsedit Mutinam firmissimam & splendidissimam populi Rom: Coloniam: oppugnat Brutum Imperatorem Consulem designatum, Civem non sibi, sed nobis & Reip: natũ. Ergo Hannibal hostis, Civis Antonius? quid ille fecit hostiliter, quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur & cogitet? Totum iter Antonij quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, cædes, rapinas? &c.*

V. *Modus*

V. *Modus Amplificandi res est à Congerie consequentium*, cùm videlicet ea, sive bona, sive mala, quæ virtutem aut vitium aut rem aliam ut plurimùm comitantur, enumeramus. Sic facit Cic: emissionem Catilinariæ pestis amplificando pro Mur: Num: 85. *Sed quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur redundârint. Illa pestis immanis, importuna Catilinæ, prorumpet quâ poterit, & jam populo Rom: minatur; in agros suburbanos repente advolabit, versabitur in castris furor, inCuria timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas, omni autem in sede ac loco, ferrum, flammamq; metuemus.*

VI. *Modus Amplificandi res desumitur à Congerie Adjunctorum*, cùm sc: sive Rerum, sive Personarum circumstantias enumeramus. Ab Adjunctis fortunæ, corporis & animi, socios Catilinæ Cic: describit Catil: 2dâ. Num: 10. *Nihil cogitant nisi incendia, nisi rapinas, patrimonia sua profuderunt, fortunas suas obliguriverunt, accubantes in convivijs vino langvidi, confecti cibô, sertis redimiti, ungventis obliti, eructant sermonibus suis cædem bonorum &c.*

VII. *Modus Amplificandi est à Congerie Similium*, cùm sc: aliqua rei nostræ similia conglobamus, illaq; per illas particulas similitudinum: sicut, ita, quemadmodum &c: a-

pertè vel occultè positas exprimimus. Utitur hoc Modo Cic: Verr: 7. Num: 2. *Quid agam Iudices, quò accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam boni Nomen Imperatoru opponitur.* Hanc quoq; Sent: *Tolerantia adversorum prodest* amplificare poteris s. v. s. *Calcibus uva premitur, ut in vini dulcissimum saporem colliquescat. Triturantur repetitis ictibus grana, sed purgata, sine omni palearum consortio proveniunt in horreum.* Dedolantur *scinduntur*q; *furente bipenni ligna, antequam repræsentent Mercurios, igne aurum probatur priùs, quàm elaboratur in annulum. Sic perferendum omne adversorum nubilum, ut acerbitatum nocte depulsa, serenior lætitiæ Phœbus illucescat.*

VIII. *Amplificandi Modus est à Congerie Dissimilium*, cùm res dissimiles affectiones habentes conglobamus. Utitur hoc modo à dissimili Cic: pro Muræna, dum Jurisconsultum Sulpitium cum Imperatore confert, ut illos dissidere plurimùm ostendat. Num: 22. *Sed ut hoc omisso ad studiorum atq; artium contentionem revertamur: qui potest dubitari, quin ad Consulatum adipiscendum multò plus afferat dignitatis rei militaris, quàm juris Civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis Consultoribus respondeas; ille, ut eò, quò intendit, maturè cum exercitu perveniat. te gallorū, illum buccinarum cantus exsuscitat. tu Actionem insti-*

stituis: ille aciem instruit. Tu caves, ne tui consultores; ille ne urbes, aut castra capiantur. Ille tenet & scit, ut hostium copiæ, tu, ut aquæ pluviæ arceantur; ille exercitus est in propagandis finibus, tu in regendis.

IX. *Amplificandi Modus est à Congerie Repugnantium seu Contrariorum*, quando nimirum ea, quæ ex quaterno Oppositorum genere sc: vel Relativè, vel Contrariè vel Privativè vel Contradictoriè sibi opponuntur, rem nostram efferendo, in unum coacervamus. Utitur hoc Modo Cic: probans Milonem in Urbe retinendum esse Num: 104. *Nolite obsecro pati mihi acerbiorem reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab ijs, per quos restitutus sum. Hiccine Vir Patriæ natus, usquam, nisi in Patria morietur? aut si forte pro Patria: hujus vos animi monumenta retinebitis; corporis in Italia nullum sepulchrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententiâ ex hac urbe expellet, quem omnes Vrbes expulsum à vobis, ad se vocabunt. O terram illam beatam! quæ hunc virum exceperit, hanc ingratam, si ejecerit, miseram, si amiserit.*

X. *Res Amplificandi Modus est à Congerie Exemplorum*, cùm sc: conformia rei nostræ exempla coacervamus. Ab exemplis Cic: pro Archia Pòeta Num: 19. dicit, *Saxa &*

Solitu-

solitudines voce respondent, bestiæ sæpè immanes cantu flectuntur, atq; consistunt: nos instituti rebus optimis, non Pòëtarum voce moveamur? Homerum Colophonij Civem esse dicunt suum, Chij suum vendicant, Salamini repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant. Itaq; etiam delubrum ejus in Oppido dedicaverunt, permulti alij præterea pugnant inter se, atq; contendunt. Ergo illi alienum qui Pòëta fuit, post mortem etiam expetunt, nos hunc vivum voluntate & legibus, qui noster est, repudiabimus? Hanc quoq; sententiam: *Dulce & decorum est pro Patria mori,* exponeres ab exemplis S. V. S. *Perfunde quisquis es, tuum pro Patria sangvinem, cùm res expostulat, in illius rubore, nunquam apud posteros pudorem contracturus. Hector pro Troja, Achilles pro Græcia occubuit; at illorum in memoria hominum manet fama superstes. Curtium absorpsit lacus, sed illu ipsis vorticibus, virtutu ejus gloria ad posteros enatavit. Codrus, ut Patria staret, induto gregarij habitu, pugnans in hostem, occidit; at erecta nominis illius memoria, nunquam ad interitum declinatur. Quod in occidendo hoste Rege erràsset, exussit ad focum dextram Mutius; at hac ipsa sese immortalis gloriæ fastis perennibus inscripsit.*

II. Rerum Amplificationis Locus est Incrementum, quo paulatim & per gradus, non tantùm in verbis (ut suprà dictum) sed etiam in rebus, crescit Oratio & ad summum

mum pervenit, vel deſcendit. Differt in hoc à Congerie, quòd huic ſatis eſt multas aut voces, aut ſententias ad propoſitum idem ſervientes qualitercunq; coacervare; In Incremento verò, ut Oratio creſcat per gradus eſt neceſſe.

Dupliciter autem ex hoc loco amplificari poteſt Oratio. *Imò minùs apertè* cùm citra diſtinctionem graduum in ipſo contextu Orationis ſemper aliquid priore majus ſubjungitur. Ex hoc loco S. Iſidorus lib: 2. Soliloqu: dicit: *Magna eſt Virtus, ſi non lædas, à quo læſus es; magna fortitudo, ſi læſus remittas; magna gloria, ſi cui potuiſti nocere, parcas.* Hinc & Cic: Verrinâ 6. Num: 88. dicit. *Vnum hoc crimen videtur eſſe, & à me pro uno ponitur de Mercurio Tyndaritano. Plura ſunt, ſed ea quo pacto diſtingvere, ac ſeparare poſſim, neſcio. Eſt majeſtatis, quòd imperij noſtri gloriæ, rerumq; geſtarum monumenta, evertere atq; aſportare auſus eſt. Eſt ſceleris, quòd religiones maximas violavit. Eſt crudelitatis, quòd in hominem innocentem, in ſocium noſtrum atq; amicum, novum ac ſingulare ſupplicij genus excogitavit.*

2do Amplificatur Oratio ab Incremento apertiùs multò, quando ſinguli gradus dividuntur, & in ſingulis commoramur. tunc ea, quæ minora ſunt, elevantur & quod

ultimò loco ponitur, maximum esse videtur. Sic facit Cic: Verr: 7. Num: 116. *Levia sunt in hoc reo crimina: metum virgarum navarchus nobilissimæ Civitatis pretio redemit: humanus Alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: usitatum est. Non vult populus Rom: obsoletis criminibus accusari Verrem nova postulat, inaudita desiderat: non de Prætore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno fieri judicium arbitratur. &c.*

III. Amplificationis Locus est Ratiocinatio, per quam, tunc amplificatur Oratio, quando ut aliud crescat, aliud augetur. *seu* cùm sensum nostrum crescere volentes, illum ex alterius amplificatione inferimus majorem. Sic Virg. Æneid: lib: 12. Summoperè Turnum laudat præcipuè ibi:

Ac velut Edoni Boreæ, cùm spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturq; ad littora fluctus,
Quà venti incubuêre, fugam dat nubila Cælo:
Sic Turno, quacunq; viam secat, agmina cedunt,
Conversæq; ruunt acies. fert impetus ipsum &c.

ut altiùs virtutem evehat Æneæ, qui illum superavit. Hoc quoq; utitur loco Cic: Philip: 2. Num: 63. *Sed hæc, quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potiùs de iniquissimo genere levitatis &c.*

IV. Amplificationis Locus Comparatio, quæ diversa inter se, vel majora cum mi-

nori-

noribus, vel minora cum majoribus comparat, non ideo tantùm, ut rem probet, ſed ut exageret, & vim faciat majorem. Sic facit Cic: Caſſium Cenſorem cum Clodio pro domo ſua comparando Num: 130. & 131. *Quæſo Pontifices, & hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparate. Ille erat ſumma modeſtiâ & gravitate Cenſor: hic Tribunus pleb: ſcelere & audacia ſingulari. Tempus illud erat tranquillum, & in libertate populi, & gubernatione poſitum ſenatus: tuum verò tempus libertate populi Rom: oppreſsâ, ſenatus authoritate deleta; res illa plena juſtitiæ, ſapientiæ, dignitatis; Tu cùm ferro, cum metu, cum edictis, cum privilegijs, cum præſentibus copijs perditorum, abſentes exercitus terrore & minis, conſulum ſocietate, & nefario fœdere, ſervitute oppreſſam civitatem teneres: libertatis ſignum poſuiſti, magis ad ludibrium impudentiæ, quàm ad ſimulationem religionis. &c.*

Adverte, Hæc Amplificatio rerum, præter enumeratos Locos etiam ex Intrinſecis & Extrinſecis locis, qui ad probandum aſſignantur, colligenda erit, qua Amplificatione nonniſi in re gravi utendum eſt Oratori: jam verò tyrocinantes in Eloquentia, poſſunt habere hos vel ſimiles modos.

Imò Si ſubſtantivum, vel Adjectivum,

aliæ particulæ reſolvantur in voces ſibi cognatas. vg. Sit propoſitio talis: *Rhetores amant ſapientiam*, quam amplificaturus tyro, accipiat iſtam vocem, *Rhetores*, addatq; illi alterum ſubſtantivum. v.g. *animus*: Rhetores ponat in genitivo caſu & addat cuiq; ſubſtantivo adjectivum, jamq; fuſior erit amplificatio; v.g. *facundi ingenioſorum Rhetorū animi.* vult fuſiùs amplificare, accipiat adjectivum *facundus*, & reſolvat illud in ſubſtantivum S. V. S. *facundiâ celebres ingenioſorū Rhetorum animi.* Adhuc fuſior erit Amplificatio, ſi ſubſtantivo huic: *facundia*, addatur aliud adjectivum v.g. *decora facundiâ celebres.* Similiter ſi verbum *amant*, verterit in nomen cognatum, v.g. *amor*, addito illi verbo competenti v.g. *proſequor*, ſi deinde nomen *amor* poſuerit in genitivo caſu, addito illi ſubſtantivo cum competentibus adjectivis, latum efficiet ſenſum, v.g. *intima ſinceri amoris proſequuntur teneritudine.* Similiter ſi ad nomen *ſapientiam* addet alterum Subſtantivum, v.g *pretium* & utriq; addet adjectivum, S V. S. totum efferet ſenſum: *decora facundiâ celebres ingenioſorum Rhetorum animi, intima ſinceri amoris teneritudine, proſequuntur magna inclytæ ſapientiæ pretia.*

2do Amplificationi ſerviunt iſtæ particulæ,

culæ, hoc verſu expreſſæ: *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* v.g. *Rhetores ſtudent*, conſiderando iſtam particulam *quis*, dabit hunc vel ſimilem ſenſum: *diligentes reginæ animorum eloquentiæ candidati*; conſiderando iſtam particulam *quid*, dabit h. v. s. ſenſum: *ſummo pectoris & animi conatu ac ingenti virium anhelitu Rhetoricis ſeſe applicant præceptis. &c.*

3tio Amplificationi ſervit eſtq; non inutilis variatio per caſus, aut tempora, vel per modos. Per caſus ex hoc v.g. ſenſu: *Semper triumphat virtus*; hæc vel ſimilis conſurgit amplificatio: *intaminatis fulgens honoribus virtus, ejuſdem manet excellentiæ, ut illius immortale nomen utraq; fortuna ſemper trophæis coronet; illi armatæ Gradivi cohortes in ſpolium ſe ultro ſubmittant; illam omnis honor & titulorum ſplendores venerentur; ab illa quævis victoriarum trophæa colligantur, ut meritò exclamare ſit fas! O virtus quàm innumeris potior adſis triumphis.*

4to conſurgit Amplificatio ex additione nominum & verborum ſynonymorum, ita tamen, ut unum altero plùs ſignificet. v.g. ex tali ſenſu: *hoſtis fugit.* additione conſurgit ſ. v. ſ. amplificatio: *malus, impius, improbus, deſes, iners, crudelis, hoſtis, fugit, abijt, erupit, evaſit exceſſit.*

Cùm verò ſuperiùs dictum ſit, quòd

 Epithe-

Epitheta Orationem illuſtrent & ex eorum additione amplificatio conſurgat, unde hîc.

Sciendum eſt, Epitheta his poſſe præcipuè formari modis. 1mò à Locis proprijs, ut Regionibus, Montibus, Fluminibus, Urbibus, Authoribus, & Inventoribus rerũ. v.g. *Alpinæ nives, Parium aut Caſpium marmor, Indicum ebur, Hircana tygris, Libycus leo, gemmeus Ganges, Dædaleum opus. &c.*

2do à dignitate & officio ſive nobili, ſive vili: aut etiam à qualitate animi, vel cuiuſpiam rei vg. *Regius animus, vel ſervilis animus, poteſtas Ducalis, caput Senatorium, Domina Orbis Roma, torrida ſole Africa, mendax Creta, levis & inconſtans Græcia, ardens ignibus Æthna &c.*

3tio ab effectis rebusq; præclarè geſtis, vel etiam malè v.g. *fulmen Orbis, fortiſſimus Achilles. Codrus pro Patria non timidus mori, Rex Poloniarum invictiſſimus. domitor Orbis Hercules. proditor nefarius Patriæ Catilina. contemptor Deorum Mezentius. &c.*

4to ab habitu corporis & à proprietatibus cauſisq; rerum, vg. *Clypeatus Ajax, loricatus Hector, haſtatus Polonus, pharetratus Perſa, Aquila ferox, imbellis columba, malèſvada fames; inimica tectis incendia, Regnorum excidiũ Mars, &c.*

5to formantur Epitheta quando pro derivativis ponuntur ipſa primitiva, ſive in laudem,

laudem, sive in vituperium, vel quando nomina propria alicujus personæ, ob aliquam similitudinem alteri applicantur. vg. *non justus, sed ipsa justitia, non impius, sed ipsa impietas, novus Alexander, alter Trajanus, alter Scipiades. &c.*

§ IV.

De Partibus Rhetoricæ & Oeconomia Operis.

PArtes Rhetoricæ sunt quinq;: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria & Pronuntiatio.

Quare neq; plures neq; pauciores sunt Rhetoricæ Partes? Quia Orator neq; ad plura neq; ad pauciora aptus esse potest; nam *1mò* tenetur ingeniosè & solerter invenire id, quod dicat, & hoc constituet Inventionem. *2dò* inventa prudenter disponere; & hoc constituet Dispositionem. *3tiò* disposita verbis & sententijs competentibus exornare, & hoc erit Elocutio. *4tò* inventa, disposita, ornataq; memoriæ diligenter mandare; & hoc erit Memoria. *5tò* tandem memoriæ tradita congruenter pronuntiare; & hoc constituet Pronuntiationem. Plura

non reperiuntur Officia Rhetorica; sequitur ergo tot esse Rhetoricæ, & neq; plures, neq; pauciores Partes.

Iudicium sextam constituere Rhetoricæ Partem non potest. Nam juxta Quintilianum, cùm ad omnes Rhetoricæ Partes sese extendat, ab ijs non segregatur; proinde nec distinctam Partem ab illis constituere potest.

QVÆ est OECONOMIA *Operis*? Totum hoc Opus Rhetoricum dividitur in 4. Libros: in quorum *1mò* de Inventione; in *2do* de Dispositione; in *3tio* de Elocutione; in *4to* de Memoria & Pronuntiatione tractatur.

LIBER I.
De Inventione.

QVid est Inventio? Est excogitatio rerum verarum, vel verisimilium, quæ causam probabilem reddant. *Dicitur rerum verarum, vel verisimilium*: quia permittitur Oratori, non semper veris, sed etiam quandoq; verisimilibus ad persvadendum uti argumentis.

Inven-

Inventio est duplex: Communis & Propria.
Communis est, quæ desumitur ex locis communibus.

Propria est, quæ ex locis singulorum Caussarum Generum depromitur; de qua inferiùs.

Inventio Communis est duplex: Rerum & Argumentorum.

CAPUT I.

De Inventione Rerum, seu Quæstione Oratoria.

INventio Rerum est, per quam invenimus & eligimus nobis certam aliquam materiam, de qua dicturi sumus. Hæc communiter vocatur Thema, seu Quæstio Oratoria.

Quid est Thema seu Quæstio Oratoria? Est Propositio in disputationem adducta, de qua in utramq; partem sermo institui potest.

Dividitur ista Quæstio 5tupliciter 1. ratione Quãtitatis, 2. ratione Finis, 3. ratione Materiæ, 4. ratione Complexionis, 5. ratione Comparatonis.

Ratione Quantitatis est 2plex: Thesis seu Infinita, & Hypothesis seu Finita.

Thesis seu Infinita est, qua quidpiam generatim

ratim quæritur, sinè certa personarum, locorum, & aliarum circumstantiarum expressione vg. *An sit studendum?*

Hypothesis seu Finita est, qua quidpiam particulariter quæritur, certisq; circumstantijs locorum, temporum & personarum limitatur vg. *An Iuventuti Polonæ, in sua generali Regni Schola Vniversitate Cracoviensi singulariter, studendum sit?*

Quæstio ratione Finis est 2plex: Theorica seu cognitionis, & Practica seu actionis.

Theorica seu Cognitionis est, quæ pro fine solam habet cognitionem, seu speculationem vg. *Vtrum sol sit major terrâ?*

Practica seu Actionis est, quæ pro fine habet actionem. vg. *An vim vi repellere liceat?*

Quæstio Theorica est 3plex: An sit? Quid sit? & Quale sit?

An sit, est in qua quæritur, de existentia alicujus rei, vg. *An sint Cometæ?*

Quid sit, est in qua quæritur de natura alicujus rei. vg. *Quid sint Cometæ, num vapores accensi, num stellæ?*

Quale sit, in qua, rei alicujus qualitas inquiritur. vg. *Quales sint cometæ, an ferales, an fausti?*

Quæstio ratione Materiæ est 3plex: Demonstrativa Deliberativa & Iudicialis.

Demon-

Demonstrativa est, in qua quæritur de laude vel vituperio alicujus personæ rei vel facti: vg. *An Eloquentiæ Auditores sint laudandi?*

Deliberativa est in qua quæritur, sitne aliquid faciendum vel non, vg. *Sitne Polonia Arcibus & propugnalis contra incursiones hostium munienda?*

Iudicialis est, in qua quæritur, sitne aliquis accusandus, vel defendendus? vg. *Sitne Milo propter occisum Clodium jure accusandus vel defendendus.* De hoc Quæstionum genere fusiùs tractatur infrà.

Quæstio ratione Complexionis est 2plex: Simplex & Composita.

Simplex est in qua quæritur de una re. vg. *An virtus sit summum bonum?*

Composita seu Conjuncta est, in qua quæritur de duabus, vel pluribus rebus. vg. *An Parentes & Præceptores sint maximè æstimandi?*

Quæstioni locus proprius est in Propositione Orationis, debetq; semper affirmativè, vel negativè poni: in Orationibus prolixioribus expressè, in brevioribus implicitè poni potest.

Quid Orator facere debet invento Themate ad dicendum proposito? Debet ad Inventionem Argumentorum descendere, quibus suum Thema probet, explicet, & amplificet.

CAPUT II.

De Inventione Argumentorum, ipsoq; Argumento.

Inventio Argumentorum est, excogitatio argumenti. *Seu* quæ docet rationes seu argumenta inquirere, quibus Quæstionem ad dicendum assumptam probemus, amplificemus & explicemus, quibusq; Auditorem docere, delectare, moveréq; possimus.

Quid est Argumentum? Est probabile inventum ad faciendam fidem. Fides autem est firma animi opinio argumentatione genita. *Dicitur probabile inventum*, non ideo, quòd necessaria argumenta ab Inventione Oratoria excludantur, sed quòd faciliùs sit invenire probabilia, quàm necessaria, & quòd Oratori probabilibus Argumentis rem suam sufficiat probare. *Dicitur* verò *ad faciendam fidem*, id est ad probandum aliquid verum, vel falsum.

Argumentum dupliciter dividitur ratione Materiæ & ratione Finis. *Ratione Materiæ est 2plex*: Necessarium & Probabile. *Necessariū est*, quod in utramq; partem sumi non potest. vg. *Sol ortus est. ergo dies est.* *Probabile est*, quod in utramq; partē sumi pro- bari

bariq; poteſt. vg. *Liberalis eſt; ergo appetens honoris.* Poteſt id in utramq; partem probari; quia multi fuerunt liberales, & tamen honoris non appetentes.

Argumentum *ratione Finis*, pro 3plici officio Oratoris, eſt 3plex: Probans ſeu docens, Delectans & Movens. *Probans ſeu docens Argumentum eſt*, quo Thema ad dicendū propoſitum verum vel falſum oſtenditur. *Delectans eſt*, quo animi Auditorum concilíantur, & in illis delectatio quædam excitatur. *Movens ſeu pateticum eſt*, quo in animis Auditorum excitantur affectus graves vel lenes vg. amoris, odij, iræ, miſericordiæ &c.

Vnde ſumutur hæc Argumenta? Ex Locis,

Quid eſt Locus? Eſt ſedes ſeu domicilium Argumentorum, *ſeu* Locus eſt id, unde ad propoſitam Quæſtionem conveniens trahitur argumentum.

Loci pro 3plici differentia argumentorum, *3plices* ſunt: *alij* Argumentorum Probantium, *alij* Moventium, *alij* Delectantium.

Loci Argumentorum Probantium ſunt illi, ex quibus depromuntur argumenta ad fidem faciendam, ſeu ad probandam materiam aſſumptam. *Loci hi ſunt 2plices*: Communes & Proprij.

Communes ſeu Generales ſunt, ex quibus ad

quodlibet Thema ſeu Quæſtionem propoſitam erui poſſunt Argumenta in omni Genere Cauſarum.

Proprij ſeu Speciales ſunt, ex quibus tantùm ad certum Cauſarum Genus vg. Demonſtrativum, Deliberativum vel Iudiciale Argumenta ſumuntur.

Loci Communes ſunt 2plices: Inſiti ſeu Artificiales, & Aſſumpti ſeu Inartificiales.

CAPUT III.

De Locis Argumentorũ Probantium Inſitis ſeu Artificialibus

Loci Inſiti ſeu Artificiales ſeu Intrinſeci ſunt, qui ex re ipſa ſumuntur, ſeu qui rei ipſi inſunt, per artem verò ex viſceribus ejuſdẽ depromuntur. Sunt autem *2plices*: à voce; & à rebus ipſis.

Loci qui ſumuntur *à voce* ſunt duo: à Notatione ſeu Ethymologia, & à Conjugatis.

Locus à NOTATIONE eſt, cùm ex vi Nominis aliquod argumentum deducitur: vg Conſul à conſulendo dicitur; ergo Patriæ conſulere debet. Senatus quoq; à ſenio quòd nomen habeat; canit Ovid:

A ſenio nomen mite Senatus habet?

Loco

Loco isto Oratores & Pòétæ persæpè utuntur, estq; feracissimus ad urbaniter, facetè & acumino è dicta. Hinc quidam: *humanũ nihil est in terris, quod non sit humandum.*

Tractari autem Locus hic potest quinq; præcipuè Modis :
1mo per affirmationem. Ut Cic: Philip: 11 Num: 36. *Animadverti; P. C. dici jam à quibusdam, exornari etiam nimiũ à me Brutum, nimiũ Cassium ornari: Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta Reip.* 2do per Nominis interpretationem, idq; ad laudem vel vituperiũ. Ad laudem vg. *Stanislaus stans laus, aurea sunt Chrysostomi effata, quia oru aurei Polonia campo, non propugnaculu cum hoste decertat; quia campestre nomen habet. &c.* Ad vituperium v. g. *Calvinus calens vino hæreticus hærens in errore &c.* Huc spectant Anagrammata, quæ ex nominum literis in alium sensum transportatis construuntur. v. g. *Eucharistia, Cythara IESV. IESVS Maria, maris es via. Sigismundus, musis dignus &c.*

3tio per æquivocationem seu amphibologiam v. g. *cella nihil terrenum sapit, quia Cælo nomen affine habet.* Hinc quidam de S. Barbara.

Barbara sum, non sum, miti sum pectore Virgo,
Sed qui me genuit barbarus ille fuit.

Vi

Vt Parcæ parcunt, ut luci lumine lucent,
Vt bellum est bellum; sic ego barbara sum.

4to per nominis derivationem. Ut Cic: Act: 6ta in Verrem, Num: 53. Verrem vocat Provinciæ everriculum: *Quid unquam lud: hujusmodi everriculum ulla in provincia fuit. &c.* In quem, sic quoq; luditur:

Verrebat Siculas ideo reor impius Vrbes,
Ne Verri Verris nomen inane foret.

5to per remotionem seu immutationem, ut est illud de Ferrando:

Ex ferro nomen tibi sit licèt, aurea condu-
Sæcula: nam sub te Principe nemo timet.

Locus à CONIVGATIS *est*, cùm id, quod uni Conjugatorum attribuitur, vel non; alteri quoq; attribui, vel non, ostéditur v.g. *Aristides justè semper faciebat. Ergo fuit justus.* & è contra *nil unquam injustè fecit Aristides. Ergo injustus non fuit.* Conjugata *juxta* Cic: *in Top:* sunt, quæ ex verbis ejusdem generis, vel ab uno verbo orta, variè commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia.

Conjugata sunt 3plicia: *alia* quæ sola voce conveniunt, ut studium & studiosus, doctrina & doctus. *Alia* quæ voce & significatione conveniunt. ut virtus & honestas, mendicus & pauper. *Alia* deniq; quæ vocis & significationis communione jungun-

tur

tur, ut modestè, modestus, modestia.

Conjugata adhuc sunt 2plicia: Propria & à Casu. *Propria Sunt*, verba & nomina ab uno deducta. ut vivere, vita, vivens. *A Casu* sunt adverbia, nominumq; casus ab uno deducti. ut honestas, honestũ, honestè.

Tractatur locus hic ab illoq; argumenta deducuntur 4. præcipuè modis.

1mo per Hyperbolen, ut Cic: pro M. Marcel: Num: 12. *Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate & misericordia viceras: hodierno die te ipsum vicisti, ipsam victoriam vicisse videris cùm victu, remisisti.*

2do per *Paronomasiam*. Ut idem Cic: Verr: 4ta, Num: 129. *Quæ iste cùm cognovisset Astrologus, qui non tam Cæli rationem, quàm cælati argenti duceret.*

3tio per *Polyptoten* seu traductionem, ut *fortis fortia agit, mortalium sunt, quæ ad mortales pertinent:*

4to tractantur Conjugata, cùm, quod de uno Conjugato affirmatur vel negatur, idem de reliquis Conjugatis affirmatur vel negatur. v. g. *studia sunt æstimanda. ergo & studiosus illis debitè attendens.* Sed

Hæc affirmatio & negatio ut rectè fiat, considerandum est *1mò*, ut Conjugata non sola voce, sed etiam significatione conveni-

veniant. Unde non bene infertur: *necesse est aliquid dare somno: ergo somniculosum esse necesse est*; quia significatione non conveniunt somnus & somniculosus. 2dò Ut ea quæ soli voci conveniunt, non affirmentur vel negentur, de re significata per alterum conjugatum v. g. *Grammatica est generis fæminini; ergo & Grammatista.* 3tiò ut attributa Conjugatorum rectè assignentur. nimirum ne alius sit sensus in antecedente, alius in consequente. Unde non rectè infertur. *album est dulce; ergo albedo est dulcedo.*

Pòësi quoq; maximam venustatem adferunt Conjugata. Hinc additâ Paronomasiâ, quidam.

Qui sapienter agit, sapiens verissimus esto,
Sed non is sapiens, qui sapienter ajt.

Et in laudem Virgilij.

Qua te non Publi famæ tuba publicat Orbi,
Publica nonne tuus Bibliotheca liber?
Sunt & Virgiliæ, tu sydere pulchrior omni
Virgili, & eloquij tu mare dulce Maro.

Conjugata cum Loco Notationis, etsi convenire videantur, differunt eo; quia in Notatione explicatio fit verbi, in Conjugatis verò inflexio derivatio & variatio spectatur.

Loci qui *à rebus sumuntur, sunt* 14 à Definitione, à Divisione, à Genere, à Forma, à Simi-

Similitudine, à Dissimilitudine, à Contrarijs ab Adjunctis, ab Antecedentibus, à Consequentibus, à Repugnantibus, à Causis, ab Effectis & à Comparatis.

Locus à DEFINITIONE est, cùm rei alicujus natura & essentia per definitionem explicatur. *Definitio vero ipsa* juxta Cic: Top: Num: 26. *est Oratio quæ id, quod definitur, explicat quid sit?* Estq; 2plex: Dialectica & Rhetorica. *Dialectica est*, quæ fit per genus proximum & differentiam ultimam v.g. *homo est animal rationale*; Ubi *Animal* loco Generis, *rationale* locò differentiæ ponitur. *Rhetorica Definitio est*, quæ potiùs descriptio vocatur, cùm natura & essentia rei, latiùs per aliqua attributa explicatur. v.g. *Virtus est Æterni Solis radius, felicitatis aurora, immortalitatis parens, humanæ mentis anima, vitæ decus, honesti germen, animi deliciæ, perennis omnium bonorum flos &c.* Hinc & Cic: lib: 1. de legibus hominem describit Num: 22. *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse à supremo DEO.*

Tractatur Locus hic, modis præcipuè 10. quibus etiam illi de Amplificatione Rerum, modi à Definitione prætacti, clariùs enucleantur.

imò

1mo *per Partes*, quando res tota describitur per enumerationem suarum partium. v. g. *homo est, qui ex anima intellectum & voluntatem habente, & ex corpore, quod in caput, brachia, manus pedesq; dividitur, constat.*

2do *per Causas*, quando quænam sint rei alicujus causæ? enumerantur. v. g. *gloria est laboris filia, virtutis præmium, vitæ ornamentum &c.* Cùm verò Causæ rerum quatuor numerantur. Unde. Per materialem Causam homo definitur. v. g. *est animata humus, limosumq; terræ fictile.* Hinc & Gigantes Virg: describit:

Ferrea progenies durum caput extulit antris.

Per Formalem, v.g. *homo est anima rationali præditus, consiliô ac ingeniô sagax.* Per Efficientem, v. g. *homo est eximium opus à summo rerum Opifice ad similitudinem sui efformatum.* Per Finalem, v. g. *homo est hæres ad æternam beatitudinem destinatus, ad serviendum DEO creatus.*

3tio *per Negationem & Affirmationem*, quando primò adfertur id, quod res non sit, & tandem illis negationibus vera rei natura adjungitur. v.g. *Non nuda est vox amicus, non cassa nux, non amabilis risus ocelli ridentis; sed amicus est, qui verus esse cernitur, amore, more, ore & re.* Per affirmationem quid sit populus Rom: Cic: pro domo sua Num: 90. descri-

describit. *Ille, ille populus est, dominus Regum, Victor atq; Imperator omnium gentium &c.* & Num: 85. ô *Speciem dignitatemq; populi Rom: quam Reges, quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimescunt &c.*

4to per *Effecta*, quando res per ea, quorum est causa describitur. v. g. *Peccatum est pestis animæ, conscientiæ labes, vitæ pernicies, honoris macula, ruina virtutum, morborum parens, dolorum artifex, terræ clades, naturæ dedecus, totius incendium Orbis &c.* Per effecta bonum virum Cic: describit pro Cæcina Num: 78. *Quapropter non dicam authoritatem ejus nimium valere, cujus prudentiam populus Rom: in cavendo, non in decipiendo perspexerit: qui juris civilis rationem nunquam ab æquitate sejunxerit: qui tot annos ingeniū, laborem, fidem suam populo Rom: promptam, expositamq; præbuerit, &c.*

5to per *Similitudinem sive Allegoricam seu Metaphoricam, sive Simplicem.* quando res aliqua per id, cui similis est describitur. v.g. *Vita humana in adolescentia, ver floridum est; in virili ætate, fervida æstas; in senectute, molesta hyems.* Hinc & Pòéta

Somnus, bulla, vitrum, glacies, flos, fabula, fænū,
Vmbra, cinis, punctum, vox, sonus, aura, nihil.

6to per *Contraria*, quando res per sibi opposita definitur. v. g. *Mund⁹ est svavis amaritudò,*

dulce toxicum, luctuosa hilaritas, deformis pulchritudo, speciosum nil, plena vanitas. &c.

7mo per *Synonymia, Adjuncta & Relativa.* Per Synonymia v.g. *Lilium est terræ ornamentũ, plantarum gloria, oculus florum, pratorum gemma, agrorum sydus &c.* Per Adjuncta v.g. *Mundi oculus sol, Cœli decus, creatarum ornamentum rerũ, noctis exilium, diei gloria, astrorum princeps, laborũ fax, horarũ dimensor. &c.* Per Relativa, quando illa definiuntur, quæ se mutuò respiciunt. v.g *Discipulus est, qui Præceptorem habet. Dux est, qui militibus preest. &c.*

8vo per *Comparata* v g. *Novus religione Numa, pietate Æneas, justitia Lycurgus, bonitate Trajanus, dexteritate Macedo, felicitate Augustus, divitijs Crœsus, pulchritudine Absalon &c.* Huc revocari potest Congeries quæ est, quando unius rei plures definitiones afferuntur.

9no per *Prolepsim & Correctionem*, quando per id, quod poterat obijci res definitur. v.g. *Atqui nihil est aliud historia, nisi magistra morum, nisi virtutum vitiorumq; diligens demonstratio, nisi publicus anteacti sæculi præco. &c.*

10 tractatur Definitio Rhetorica per *Prosopopæiam*, quæ est fictæ personæ inductio ut si quis Eloquentiam induceret perorantem: *Ego illa sum terrarum Regina simulacrum gloriæ,*

portio

portio divinitatis, quæ de stellifera descendi sede; ut miserias hominum sublevarem. &c.

Locus à DIVISIONE *seu partium enumeratione* est, quando omnibus alicujus rei partibus enumeratis, tota tandem ex illis colligitur. v.g. *Reditum Ciceronis ab exilo senatus suasit, Equites probârunt, plebs expetijt: ergo totius Civitatis consensu ab exilio revocatus est.*

Divisio triplex. *est ima quæ vocatur propriè Divisio*, quando aliquod genus dividitur in suas species v.g virtus in pietatem, gratitudinem, liberalitatem &c.

2da *quæ vocatur Partitio*, quando totum dividitur in partes. v.g. *terra in Africam, Asiam, Europam, Americam.* Hac partitione utitur Plinius junior, cùm triumphantis in urbem Trajani ingressum describit, diversitatem ad spectaculum concurrentium per partes inducendo. *Ergo non ætas quenquam, non valetudo, non sexus retardavit, quominus oculos insolito spectaculo implerent. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri quoq; neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemq; prorepêre: Inde alij se satis vixisse te viso, te reperto: alij non magis esse vivendum prædicabant: Fæminæ etiam tunc fæcunditatis suæ maxima voluptas subijt, cùm cernerent cui Principi cives, cui Imperatori milites, peperissent. Videres refertâ ac labo-*

ac laborantia, imò ne eum quidem vacantem locum, qui nonnisi suspensum, & instabile vestigium caperet, oppletas undiq; vias, angustumq; tramitem relictum tibi: alacrem hinc inde oculum, ubiq; par gaudium, paremq; clamorem; tam æqualiter ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta est, quàm omnibus venisti, quæ tamen ipsa cum ingressu tuo crevit, ac prope in singulos gradus adaucta est.

3tia *est Enumeratio*, quando partes alicujus rei enumerantur, *quod fit 3pliciter: 1mo* cùm enumerantur subjecti accidentia v.g. studiosi alij sunt devoti, alij diligentes, alij modesti. *2do* cùm enumerantur subjecta accidentis v.g. albedinis subjecta Cygnus, papyrus, saccarum, nix, lac. &c. *3tio* cùm enumerantur accidentis accidentia. v.g. colorum alius est albus, alius niger, alius ruber &c.

Locus hic à Divisione tractátur quinq; præcipuè modis. *1mò per affirmationem*, quando affirmatis partibus omnibus, totum quoq; affirmatur. Ut Cic: post Red:ad Quir: Num: 2. & 3. ab affirmatione partiũ totum quoq; affirmat. *Nil cuiquam fuit unquam jucundius, quàm mihi meus frater &c. Amicitiæ, consvetudines, vicinitates, clientelæ, ludi deniq;, & dies festi quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo &c.* quibus longa enumerati-

meratione, tanquam partibus affirmatis, affirmat, quòd omnia ſint ipſi cariora poſt exilium, quàm ante.

2do *per negationem*, quando negatis omnibus partibus totum quoq; negatur. Hinc Cic: Antonium non eſſe Conſulem probat Philip: 4. Num: 9. *Negat hoc Brutus Imperator Conſul deſignatus, natus Reip: civis, negat Gallia, negat cuncta Italia, negat Senatus, negatis vos. Quis igitur illum Conſulem, niſi latrones putant.*

3tio *per Rejectionem*, quando rejectis cæteris partibus, una relinquitur affirmanda vel neganda. v.g. *Virtus reddens unicuiq; quod ſuum eſt; non eſt fortitudo, non temperantia, non modeſtia, ergo juſtitia eſt.*

4to *per Diſtributionem*, quando unaquæq; enumeratarum partiũ, ſuo proprio concluditur verbo. v. g. *Quod mirabilius? aquæ ſubeunt in imbres, in grandines rigeſcunt, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes, labuntur in amnes, ſinè humeris onera ferunt, ſinè faucibus abſorbent, ſinè pedibus moventur.*

5to *per Interrogationem & ſubjectionem.* Ut Cic: pro domo ſua Num: 59. *Quid enim vos uxor mea miſera violârat? quam vexaviſtis, raptaviſtis, omni crudelitate laceraviſtis. Quid mea filia? cujus fletus aſſiduus, ſordeſq; lugubres vobis erant jucundæ, cæterorum omnium mentes oculoſq; flectebans*

bant: Quid parvus filius? quem quamdiu abfui, nemo nisi lachrymantem confectumq́; vidit.

Locus à GENERE *est*, cùm à voce, quæ convenit pluribus, ducitur argumentum. v.g. *Virtus est laudabilis. Ergo prudentia, justitia &c. est laudabilis.*

Ex Loco hoc desumuntur argumentā tribus præcipuè modis.

1mo per affirmationem, quando cui dicitur convenire genus, ei quoq́; dicitur convenire species. v.g. cui convenit virtus, eidē pietatem, humilitatem, liberalitatem &c. dicimus convenire.

2do per negationem, quando cui negatur convenire species, eidem negatur convenire & genus. v.g. Negatur alicui convenire pietas, humilitas &c. negatur eidem virtus convenire.

3tio per distributionem, quando aliqua generica particula, quales sunt: omnis, quilibet, nullus, ubiq́; nullibi, semper, nunquam, dividitur in plura. v.g *ubiq; vitia portat*. effertur: *Non Romanus Tyberis, non Ausonius Rubicon, Æthyopem lavabit animum; qui sive Albam, sive Cretam petat, candidior non evadet: ascendat Alpes, ascendent & vitia, ultimis Garamantum insistat limitibus, insistent & vitia, illi socio comitata.*

Locus à SPECIE *seu* FORMA *est*, cùm ab eo

quod

quod Generi tanquam pars ſubijcitur, ducitur argumentum. v.g. *Pietas, modeſtia, diligentia ſtudioſum commendat. Ergo & virtus.*

Tractatur hic Locus trib⁹ præcipuè modis. 1mo *per affirm:* quando affirmatis ſpeciebus, aliquid etiam generale affirmatur. v.g. *Eſt obnoxius ebrietati, rapinis, mendacijs:. ergo eſt ſceleratus.*

2do *per negationem,* quando negatis è contra Speciebus, negatur etiam aliquid generale. v.g. *Non fœdavit animum ejus avaritia, ebrietas, ſuperbia &c. ergo non eſt vitioſus.*

3tio *per Inductionem,* quando ex multis ſpeciebus genus; aut ex multis ſingularibus aliquid inducitur univerſale. Ut Cic: pro Plancio Num: 60. *Honorum gradus ſummis hominibus, & infimis ſunt pares, gloriæ diſpares. Quis noſtrûm ſe dicit M. Curio, quis C. Fabricio parem? quis Antonio Calatino? quis Cn: & Pub: Scipionibus? quis Africano, Marcello, Maximo? eosdem ſumus honorum gradus, quos illi aſſecuti: Eſt enim in virtute multis aſcenſus, ut is gloriâ maximè excellat, qui virtute plurimùm præſtet.*

Locus à SIMILITVDINE *eſt,* cùm duæ vel plures res diſpares ob aliquam ſimilitudinem inter ſe conferuntur. v.g. quemadmodum aurum probatur in igne, ita amicus in adverſis. Ovid: canente:

Scilicet, ut fulvum spectatur in ignibus aurum;
Tempore sic duro conspicienda fides.

Smilitudo est 2plex: Perfecta & Imperfecta. *Perfecta est*, quæ duas habet partes, *Prothasim* sc: per illas particulas expressam: ut, quemadmodũ, sicut. &c. *& Apodosim* per has particulas. ita, sic, eodem modo, non secus, pariter, non aliter &c. v.g. *Sicut heliotropium solis imitatur cursum*, (& hæc est Prothasis) *ita populus instituendæ vitæ regulam, à Principis ingenio mutuatur*: (hæc Apodosis est).

Imperfecta est, quæ caret prædictis similitudinis notis. *Seu* quæ miscet Prothasim cum Apodosi: *vel* quæ solam Prothasim sinè Apodosi tractat. Ut Virg.

O formose puer nimium ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Species similitudinis sunt 4. Icon seu Imago. Parabola seu Comparatio, Paradigma seu Exemplum & Inductio.

Icon est, cùm à Numinis vel alicujus animalis forma, ducitur similitudo. v.g. *Os humerosq; DEO similis.*

Parabola est collatio rerum, seu naturâ seu genere dissimilium, in aliquo tamen convenientium. v.g. *Sicut corpus sinè anima, ita civitas sinè lege subsistere nequit.*

Paradigma seu Exemplum est, cùm rei gestæ vel

vel quasi gestæ sumitur comparatio ad id, quod probatur. v. g. *Ciceronem eloquentia, Maronem Poësis perennare fecit. ergo unicuiq; id ipsum præstare potest.*

Inductio est coacervatio multarum rerum similium, servientium ad aliquid unum concludendum. Ut Cic: ad Atticum lib 8. Ep: 11. *Ut gubernatori navis, cursus secundus; medico salus, Imperatori victoria; ita moderatori Reip: beata Civium vita est proposita.* Sic: & Virg: Ecl: 5.

Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Vt gregibus tauri, segetes ut pingvibus arvis;
Tu decus omne tuis.

Tractatur Locus hic 4. præcipuè modis.

1mo *per negationem* v. g. *Nec dies absq; intermedia nocte meridiem tenet, nec virtus sinè æmulo in auge conspicitur splendoris.*

2do *per Affirm:* Ut Cic: post Red: ad Quir: Num: 4. *Sed tanquam bona valetudo jucundior est ijs, qui è gravi morbo recreati sunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt; sic ea omnia desiderata magis, quàm assiduè percepta, delectant.*

3tio, quando sinè particulis similitudinis sensus ponitur, quod usitatiùs est. v.g. *diem occasus, virtutem censura premit.* Vel *tegit favus aculeum, rosa adornat spinam, fictus dolum inumbrat candor, ne visus evitetur.*

4to, dum nonnisi insinuatur similitudo. v.g. *quasi excussum dextrâ Iovis tonitru, in hostes victor heros ruebas.*

Locus à DISSIMILITVDINE *est*, cùm duæ vel plures res ob aliquam dissimilitudinem inter se conferuntur. Hoc utitur Cic: Phil: 10. Num: 20. *Omnes nationes servitutem ferre possunt, nostra civitas non potest, nec ullam aliam ob causam, nisi quòd illæ laborem, doloremq; fugiunt; nos ita à majoribus instituti, atq; imbuti sumus, ut omnia consilia atq; facta ad virtutem & dignitatem referamus.* Hinc & Catulus dicit.

Soles occidere & redire possunt,
Nobiscum semel occidit brevis lux.
Nox est perpetuò una dormienda.

Similitudo à Dissimilitudine differt eo, quòd Similitudo semper affirmando procedat: Dissimilitudo verò annexam negationē habere solet. Quod patet ex Cic: pro: Mur: Num: 83. *Si L. Catilina cum consilio suo nefariorum hominum, quos secum duxit, hac de re posset judicare, condemnaret L. Murænam; si interficere posset occideret. Idemne igitur delecti ex amplissimis ordinibus sapientissimi viri judicabunt, quod ille importunissimus gladiator, hostis Reip: judicaret.*

Interdū Similitudo cum Dissimilitudine simul solet commisceri: res enim penitùs similes aut dissimiles, rarò inveniūtur. Id ex Cic:

col-

colligitur post Red: ad Quir: Num 6. *Non enim pro meo reditu, ut pro Popilij nobilissimi hominis adolescentes filij atq; affines deprecati sunt; non ut pro Metello clarissimo viro, jam spectata ætate filius; non Dalmaticus Consularis summa authoritate vir, non Q. Metellus Censorius, non eorum liberi, non Metellus nepos. &c.*

Locus ab OPPOSITIS *seu* CONTRARIIS *est*, cùm res aliqua ex re sibi contraria declaratur. Ut Cic: Phil: 8. Num: 4. *Etenim cùm inter bellum & pacem medium nihil sit, necesse est tumultum, si belli non sit, pacis esse.*

Opposita sunt 4plicia Relativa, Privativa, Contraria & Contradictoria.

Relativa sunt, quorum esse, est ad aliud se habere. *Seu* quæ se mutuò respiciunt v.g. *Pater & filius. Dominus & servus.* Tractantur autem Relativa duobus modis.

1mò per affirm: cùm affirmato uno Relativorum alterum affirmatur, sub vario tamen respectu. v.g. *Dux est militæ: ergo milites habet.*

2do *per negationem*, cùm negato uno Relativorum, alterum quoq; negatur. v.g. *non est pater: ergo nec habet filium.* Utitur Relativis Cic: pro Rab: Posthumo, deducendo non debere plecti filium pro eo, quod Pater impunè fecit. Num: 2. *Satis est homines imprudentiâ lapsos non erigere, urgere verò jacentes,*

jacentes, aut præcipitantes impellere, certè est inhumanum; præsertim, Judices, cùm sit hoc hominum generi propè naturâ datum; uti, quæ in familia laus aliqua forte floruerit, hanc ferè qui sunt ejus stirpis cupidissimè persequantur, siquidem non modò in gloria rei militaris, Paulum Scipio, aut Maximum filius, sed etiam in devotione vitæ, & in ipso genere mortis imitatus est P. Decium filius. sint igitur similia Judices parva magnis.

Privativa sunt, quæ significant, rem, & absentiam rei in subjecto apto. *ut sunt vita vel mors in animali.* Tractantur autem Privativa duobus modis. *1mo* per affirm: unius sc: privationis ad negationem alterius sc. habitûs. v.g. *Mortuus est, ergo non vivit.* *2do* per negationem privationis ad affirmationem habitûs. v.g. *non est mortuus. ergo vivit.* Hinc Cic: pro Marcello. *Doleo cùm Resp: immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere.*

Contraria seu Adversa sunt, quæ in uno subjecto se compati non possunt, nisi in gradibus remissis. ut *album & nigrum in pariete.*

Tractãtur quoq; Contraria duobus modis. *1mo* per affirm: unius ad negationem alterius. *2do* per negationem unius ad affirmationem alterius. v.g. *Ex labore multa scientiæ & gloriæ colligitur messis: ergo ex ignavia tantummodò ignorantia & dedecus enascitur.*

Contra-

Contradictoria sunt, quorum unum affirmat id, quod alterum negat. v.g. *Est in Schola. ergo non potest, non esse.* Hinc Martialis.

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem,
Nec possum tecum vivere, nec sine te.

Habet & Cicero Contradictoria 1. Tusc. Num: 12. *Jam mallem Cerberum metueres, quàm ista tam inconsideratè diceres, Attili: qui tandem? M. quem esse negas; eundem esse dicis: ubi est acumen tuum? cùm enim miserum esse dicis, tum eum qui non sit, esse dicis.*

Locus ab Oppositis tractatur sex præcipuè modis. *imo* cùm singulis membris sua quoq; contraria membra opponuntur. Ut fecit Cic: Verr: 5. Num: 4. *Furem aliquem aut rapacem accusâris, vitanda tibi semper erit omnis avaritiæ suspicio. Maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem? cavendum erit semper, ne qua in re asperior, aut inhumanior esse videare. Omnia postremò, quæ vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt.*

2do cùm verbum verbo contrarium redditur. Ut Cic: Catilinariâ 2. Num: 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc fides, illinc fraudatio, hinc pietas, illinc scelus, hinc constantia, illinc furor, hinc honestas, illinc turpitudo.*

3tio, cùm Periodo periodus contraria oppo-

opponitur. v.g. *Optimè Palladianus cultor, suo profectui consuluisse videtur, qui non aliter liberalibus studijs operam navat, nisi sedulæ accinctus diligentiæ, hæc illum ornat, hæc cæteris laudabiliorem reddit, hæc in arena literaria de capitali hoste ignorantia victorem ostendit. Pessimè verò ac inconsiderate facit, qui ad musas veniens, non diligentiam, sed comitem habet negligentiam, qua suum juventutis aureum deperdit tempus, omnium de se expectationem seducit, Musisq; se inutilem reddit.*

4to, cùm adjectivum substantivo additur contrarium, *vel* cùm ipsa substantiva sibi opponuntur. v.g. *loquens silentium, illustres tenebræ. tempestas tranquilla, procella serenior.*

5to, cùm Gerundia verbo adjunguntur. v.g. *Sedendo ambulat, vulnerando sanat. &c.*

6to, cùm mutua verba colliduntur. v.g. *fortuna accendit honorum titulos, ut extingvat.*

Locus à REPVGNANTIBVS *est*, cùm posito uno repugnante, aliud removeri ostenditur. Repugnantia enim sunt, quæ simul stare & hærere nequeunt, qualia sunt: odisse & laudare; amare & injuriâ afficere. Utitur his Cic: pro Cælio Num: 5. *Repugnat ejus mores probari, cui ultro non petenti, sed absenti deferuntur honores.*

Inter Contraria, Repugnātia & Dissimilia diffe-

rentia est hæc: quia *Contraria* sunt, quæ secum pugnant in eodem subjecto, & unum aliud tollit. *Dissimilia* sunt, quæ se non tollunt, sed tantùm sunt diversa. *Repugnantia* sunt, quando unum contrarium ponitur & alterius contrarij effectus; sufficitq; ut vel in natura, vel in affectione aliqua inter se dissideant. unde latiùs patent quàm Contraria.

Locus ab ADJUNCTIS est, cùm attributa seu circumstantiæ rerum vel personarum recensentur, ex ijsq; aliquid laudatur vel vituperatur, svadetur vel dissvadetur, accusatur vel defenditur. Suntq; Adjuncta duplicia: Personarum & Rerum.

Adjuncta Personarum sunt, quæ personis adjunguntur & revocantur potissimùm ad tria Capita. *In 1mo capite* ponuntur ea, quæ ad fortunæ bona pertinent, ut sunt divitiæ, dignitates, honores, affinitates &c. *In 2do Capite* ponuntur adjuncta naturæ, suntq; bona vel mala corporis, ut ætas, forma, sanitas, ægritudo &c. Huc revocantur Natio, Patria, atq; diversi gentium mores. Ab Adjunctis naturæ svadet Cic: teneræ ætati concedendum esse aliquid; pro Cælio Num: 42. *Sit adolescentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur: non semper superet vera*

illa,

illa & directa ratio; Vincat aliquando cupiditas, voluptasq; rationem, dummodò illa in hoc genere praescriptio moderatioq; teneatur. Ab adjunctis personae idem Cic. probat Cheraeam fraudulentum, defendendo Roscium Comaedum Num: 20. *Oro atq; obsecro vos, qui nôstis vitam inter se utriusq; conferte; qui non nôstis, faciem utriusq; considerate: Nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis ungvibus usq; ad verticem summum? si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallacijs, mendacijs totus constare videtur?*

In 3tio Capite reponuntur Adjuncta animi, suntq; bona vel mala, ut virutes, vitia, habitus scientifici, & omnia quaecunq; animum concernunt. Ab adjunctis animi è Favonij dicto in Clodium infert pro Mil: Num: 45. *Vos ex Favonio audîstis, Clodium sibi dixisse, vivô Clodiô periturum Milonem, triduo pòst tertium diem res gesta est, quàm dixerint. Cùm ille non dubitaret aperire, quid cogitaret, vos potestis dubitare, quid fecerit.*

Adjuncta Rerum sunt, quae non quidem rem componunt, aut eam necessariò comitantur, sed tantùm cum ea conjuncta sunt. Talia adjuncta numerantur 8. *Factum, Locus, Tempus, Occasio, Modus, Facultas, Instrumenta & signa.*

& signa. quæ omnia hoc continentur versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Quis. significat personam, in qua consideratur natura, ætas, natio, cognatio, Patria, fama, vires, forma corporis, bona animi, bona fortunæ, affectiones naturales, ut gaudium, voluptas, mæror, educatio &c. Eleganter verò pro ipsa personâ ponuntur insignia personæ v.g. pro Rege sceptrum, pro Duce clava, pro milite arma, pro Consule fasces &c. Item stemmata, ut pro Polonia Aquila, pro Lithvania Eques, pro Turcia Luna &c.

Quid. significat rem ipsam, seu operis quantitatem v.g. an aliquod factũ sit grave, leve, tutum, an periculosum. Item significat quid sit personæ natio, quid ætas, quid nomen? &c.

Vbi. significat locum. v.g. an domi vel in bello &c. fuitne ille locus sacer an profanus, publicus an privatus, magnus an parvus. &c.

Quibus auxilijs. denotat, cum quibus socijs vel instrumentis, an pijs, an impijs, virtuosis an sceleratis, &c.

Cur. denotat causam finalem. v.g. an propter honorem DEI vel vanam gloriam o-

pus aliquod fit factum, an propter publicum bonum vel privatum. &c.

Quomodo denotat modum facti v.g. an graviter, vel leniter peccaverit; qui in, loco sacro malum exemplum præbuit.

Quando denotat tempus. v.g an meliùs studia tractantur tempore brumali, an æstivo?

Locus ab ANTECEDENTIBVS est, cùm ab ijs, quæ rem necessariò præcedunt, argumenta ducuntur. v.g. *Arbor non floruit ergo fructū non feret.* Hinc Cic: probat Verrem nihil probè acturum, si Consul foret, qui perfidus Quæstor, injustus Prætor, avarissimus Siciliæ præfectus fuerat. Philippica 3. Num: 14.

Differunt Antecedentia ab adjunctis eo: *quia Adjuncta* non necessariò rebus inhærent; *Antecedentia verò* necessariò connectuntur cum Consequentibus. v.g. *si sol ortus est, necessariò dies est.* Aliquando etiam ex multis Antecedentibus unum colligitur consequens. v.g. *Sub magno Imperatore militiam belliq; artes tractavit, in omnibus bellicis occasionibus gloriæ studuit, ubiq; se strenuè gessit, animô fortis, consiliô prudens, manu promptissimus extitit. ergo est optimus bellator.* Sic: dici posset. *Dedit in ætatis aurora documentum, quantus in publico sole*

futu-

futurus erat, necdum firmavit ad incessum vestigia, & jam manus ad lauream erigebat &c.

Locus à CONSEQVENTIBVS *est*, cùm ab ijs, quæ rem necessarió consequuntur, ad ea, quæ eandē antecedunt, argumētamur. v g. *doctus est, ergo à juventute studuit benè.* Utitur hoc loco Cic: pro Flacco Num: 99. *Cùm tabella vobis dabitur Iudices, non de Flacco dabitur, solùm dabitur de ducibus, Auctoribusq́ conservandæ civitatis; dabitur de omnibus bonis Civibus; dabitur de vobismet ipsis; dabitur de liberis vestris, de vita, de Patria de salute communi. &c.*

Locus à CAVSIS *est*, cū ex vi Causarū sequi aliquem effectum ostendimus. v g. *Ex igne calorem. Ex cordis vulnere mortem.* Causa enim est, quæ id efficit, cujus est causa. Et est 4plex: Materialis, Formalis, Efficiens & Finalis.

A causa Materiali sumitur argumentum 2pliciter: *imò* cùm posita materia, posse, sequi effectum (modò cætera non desint) ostenditur v.g. *sunt lapides, ligna, cæmentum, lateres. ergo & domus fieri potest.* 2do cùm remotâ materiâ, effectum quoq; removeri ostenditur. v.g. *non est ferrum, ergo neq; ferreus ensis.*

A Causa Formali argumentatur Orator 2pliciter: *imo* cùm posita Causa Formali,

effectus quoq; poni; vel sublatâ tolli ostenduntur. v.g. *animi hominum sunt immortales, ergo æternum vivent.* 2dò cùm, quæ conveniunt Formis, effectibus quoq; convenire, vel quæ removentur à Formis, ab effectibus etiam removeri ostenduntur. v.g. *Sapientia est maximum bonum. ergo & sapientem esse, maximum bonum est.* A Causa Formali de immortalitate animi dicit. Ovid: 15. Metamorphoseos.

O genus attonitum gelidæ fomidine mortis!
Quid Styga? quid tenebras? quid numina vana timetis!
Morte carent animæ, semperq; priore relicta.
Sede, novis domibus veniunt, habitantq; receptæ.

A Causa Efficiente apliciter quoq; argumentari possumus: *imò* cùm ubi non est Causa Efficiens, ibi nec effectus esse ostenditur. v.g. *Nulla causa parricidij est, quæ Roscio obijciatur. ergo illud non patravit.*

2dò cùm quæ insunt causis Efficientibus, effectibus quoq; earundem attribui posse eadem ostenduntur. v.g. *Mundus à DEO creatus est. ergo opus est numeris omnibus absolutum.* A Causa Efficiente dicit Cic: in Pison: Num: 41. *O Dij immortales? tunè etiam, atq; adeò vos geminæ voragines, scopulíq; Reip: vos meam fortunam deprimitis: vestram extollitis?*

A Cau-

A Causa Finali 2pliciter argumenta eruuntur: *imò* cùm qualis est finis, tale quoq; medium, quod ad finem per se ordinatur, probatur esse. v.g. *Sapiens est. ergo multa tulit, sudavit & alsit scribendo, legendo &c.*

2dò cùm negata Causa Finali, ejusdem quoq; effectus negatur. v.g. *Milo nullum commodum ex morte Clodij speravit. ergo ipsi insidias non struxit.*

Locus ab EFFECTIS est, cùm ea, quæ ex causis orta sunt recensentur v.g.. *Militia auget Imperij dignitatem, Remp: conservat, cæteras provincias in ditionem redigit. Ergo magnum in Rep: debet habere valorem.* Ab effectis Cic: rei militaris virtutem cæteris præstare deducit pro Mil: Num: 22.. *Hæc nomen populo Rom: hæc huic urbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic Imperio coëgit, omnes urbanæ res, omnia hæc nostra studia, & hæc forensis laus, & industria latent in tutela, ac præsidio bellicæ virtutis: simulatq; increpuit suspicio tumultûs, artes illico nostræ conticescunt.* Hinc & Horat. Lib: 1. Ep: 5. ebrietatem descripsit:

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes;
Fæcundi calices, quem non fecêre disertum?

Locus à COMPARATIS est, cum duo vel

 plura

plura propter aliquod tertium sibi commune inter se comparantur. v.g. *Demosthenem, Cynæam, Ciceronem eloquentia celeberrimum fecit. Ergo unumquemq; sibi incumbentem facere potest.*

Comparata sunt 3plicia: Majorum, Minorum & Parium. *Majorum sunt*, quando majus cum minore confertur v g. *Ausus est infestare Templum, ergo multò magis audebit domum.* Utitur his Comparatis Cic: pro Sext Amer. ubi probat Syllam non omni animo advertere cùm Juppiter ipse non possit. Num: 131. *Si Jup: Opt: Max: cujus nutu & arbitrio Cælum, terra, mariaq; reguntur, sæpe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit; &c. Quid mirum L. Syllam, cùm solus Remp: regeret, orbemq; terrarum gubernaret, imperijq; majestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuisse.* Hincq; exul Pòëta se comparat cum Augusto:

Cur ego posse negem leniri Cæsaris iram,
Cùm videam mites hostibus esse Deos.

Comparata *Minorum sunt*, quando minora cum majoribus conferuntur. v.g. *Non potest evellere plantam tenellam, ergo neq; arborem.* Utitur his Cic: pro Mil: Num: 81. *Græci homines, Deorum honores tribuunt ijs viris, qui bar-*

baros necaverunt. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem non modò honoribus nullis afficietis, sed ad supplicium rapi etiam patiemini.

Comparata *Parium sunt*, cùm paria cum paribus conferuntur v.g. *labor quorum æqualis est, æquale debet esse & præmium.*

Utitur his Cic: in Verrem 7. Num: 14. *O præclarum Imperatorem, nec jam cum Aquilio fortissimo viro, cum Paulis Scipionibus, Marijs conferendum.*

Hinc quidam de Gunebaldo malo Poeta ad Brennum malum quoq; Historium scripsit.

Iure Gunebaldum non censes Brenne Poëtam,
Iure Gunebaldus te negat Historicum.
Nam licèt historiam tu fingas, ille Poësim
Omnia tu fingis, fingit aut ille nihil.

Cōparata Pariū à Similitudine differūt 2pliciter: *imò* quia in Comparatis fit duorum collatio respectu alicujus tertij, in Similitudine verò, quamvis sit collatio duorum non tamen respectu tertij. v.g. *Licuit M. Antonio defendere Clodium, cur Ciceroni non licebit defendere Milonem?* Hîc Cicero & Antonius conferuntur respectu tertij sc: defensionis.

Iam autem cùm dicitur: *Sicut infirmi svavitatem cibi non sentiunt, ita improbi veræ gloriæ gustum non habent.* hic infirmi cum impro-

bis conferuntur, non tamen respectu alicujus tertij, sed tantùm tàm infirmis, quàm improbis suus corruptus attribuitur gustus.

2dò quia in Comparatis quantitas; in Similitudine verò qualitas considerari debet.

CAPUT IV.

De Locis Argumentorum Probantium Assumptis.

Loci Assumpti seu Extrinseci seu Inartificiales sunt, qui rebus ipsis non inhærent, sed aliunde & foris assumuntur.

Dicuntur Inartificiales, non ob rationem usûs & tractationis: nam magno indigent artificiô: sed ob rationem inventionis: nam non ex rebus ipsis, sed foris eruuntur, suntq; extra Oratoris artem.

Loci Assumpti juxta Quintilianum *numerantur* 6. à Præjudicijs, à Rumoribus, à Tormentis, à Tabulis, à Jurejurando, & à Testibus.

Locus à PRÆJUDICIJS est, cùm de eadem re vel simili adfertur judicaturis exemplũ, quod jam fuerat statutum, ut illud sequantur. à Præjudicijs Cic: Catilinam svadet, non ab urbe tantùm eijciendum, sed ociden-

cidendum esse, Catil: 1. Num: 3. & 4. *An verò vir amplissimus P. Scipio, Pontifex Maximus Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip: privatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde, atq; incendijs vastare cupientem nos Consules perferemus? decrevit quondam senatus, ut Luc: Opimius Cons: videret, ne quid Resp: detrimenti caperet &c.*

Locus à RVMORIBVS est, cùm ex fama seu sermone siné certo authore in vulgus sparso argumenta ducuntur, quibus aliquid affirmatur vel negatur. *Affirmatur* si pro rumoribus dicatur illos laudando, ut facit Plin: in Paneg: Trajani: *Cæsar tales nos crede, qualis fama cujusq; est: huic aures, huic oculos intende, Melius omnibus quàm singulis creditur: singuli enim decipere, & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* *Negatur* si contra rumores famæq; levitatem aliquid afferatur. Ut fecit Cic: pro Plancio Num: 56. *Illud unum vos magnopere oro, atq; obsecro, cùm hujus, quem defendo, tùm communis periculi causâ, ne fictis auditionibus, ne disseminato sparsoq; sermoni, fortunas innocentiũ subijciendas putetis &c.*

Locus à TORMENTIS est, cùm per supplicia & cruciatus, quibus rei ad sceleris confessionem adiguntur veritas expressa affirmatur vel negatur. *Affirmatur* ut

Cic: ad Trebat. in Top: Num: 74. *Facit necessitas fidem, verberibus enim torti, igne fatigati, quæ dicunt, ea veritas ipsa dicere videtur.* Negatur ut idem Cic: pro Sylla Num: 78. *Illa tormenta gubernat dolor, moderat natura cujusq; tum animi, tum corporis &c.*

Locus à TABVLIS est, cùm ad probandum vel refellendum aliquid adferuntur pacta, contractus, testamenta, obligatoriæ chartæ, codicilli, inscriptiones, & alia hujusmodi sive publica sive privata scripta.

Hoc utitur Loco Cic: pro Archia Pòëta Num: 8. *At non est professus; quæ solæ ex illa proffessione collegioq; Prætorum obtinent publicarum tabularum authoritatem.*

Locus à JVREIVRANDO est, cùm in aliqua causa probāda vel refellenda fit ad Divini Nominis contestationem refugium. v.g. *Heraclienses Archiam Pöëtam jurárunt esse civem Romanum; Ergo pro cive haberi debet.*

Locus à TESTIBVS est, cùm illi adducuntur, qui authoritate insignes & virtute præstantes hoc ita & non aliter testantur. *Affirmatur* hinc aliquid, si testes omni exceptione majores asserantur esse. *Negatur*, si debiles, naturâ leves, ignonimiâ aut metu vel aliquo simili affectu compulsi esse ad dandum testimonium, ostendantur.

Hoc

Hoc loco utitur Cic: pro Archia Pòéta Num: 8. *Adest vir summa Authoritate & religione & fide Luc: Lucullus, adsunt Heraclienses Legati, qui hujus judicji causâ cum publico testimonio venerunt.*

Quid est Testimonium? Est evicta jurejurando authoritas. *Estq; 2plex:* Divinum & Humanum. *Divinum est*, quod ab ipso Divino Numine proficiscitur habetq; DEUM Authorem. *juxta antiquos 4druplicitèr dividitur:* in Oraculũ, Auguriũ, Vaticiniũ & Respõsũ.

Oraculum est vox alicujus Numinis. *Diciturq; ex eo oraculum*, quôd antiqui in illo Divinam credebant esse orationem. ejusmodi oracula apud veteres fuêre: Delphicum, Colophonium &c. utebantur autem illis, quoties eventum de rebus scire volebant. ut fecit Pyrrhus Epirotharum Rex, qui pugnaturus cum Romanis Oraculum Apollinis consuluit, recepitq́ responsum: *Ajo te Ajacidam Romanos vincere posse*: hæc plerumq́; fallebant ut ex prædicto Pyrrhi patet, qui cùm se Romanos opinaretur victurũ, à Romanis victus. Aliquando etiam non fallebãt, ut ex ejusdẽ Apollinis Statua patet, quæ Christi natalem; sui verò ruinam prædixit

Me puer Hebræus, divos D E V S ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub orcum.

Apud

Apud Christianos loco Oraculorum sunt scripta Prophetarum Evangelistarum, Apostolorum, Summorum Pontificum atq; Conciliorum.

Augurium seu Auspicium est denuntiatio, quæ ex avium cantu seu garritu pastuq; sumebatur. Species eorum, qui Auguria observabant erant tres: *ima* eorum, qui observabant volatum avium & dicebantur Auspices. *2da* eorum, qui cantum & garritum avium observabant, & vocabantur Augures. *3tia* eorum, qui ex pastu esuq; volucrûm auguria sumebant, vocabanturq; Pullarij: munus verò eorũ erat, observare tonitrua & Magistratibus denuntiare.

Vaticinium est divinatio vatum, seu futurorum prædictio. cujus vaticinij tres quoq; species erant. *ima* eorum, qui divino spiritu excitati, dicere credebantur, quales erant Sybillæ, de quibus Homerus. *2da* eorum, qui ex astris aliquid conijciebant. ut Tales Milesius oleorum ubertatem prædixit. *3tia* eorum qui ex portentis vel prodigijs aliquid prædicebant futurum. Ut Mydæ opes, quod illi parvulo grana tritici à formicis in os imposita erant.

Responsum est vox illam petentibus data. Quæ est 3plex: Sacerdotum Haruspicum & Con-

& Conjectorum. *Sacerdotum* apud antiquos, erant responsa illorum, qui administrabant res sacras & religioni præerant. *Haruspicum* erant responsa, quæ ex cæsarum victimarum extis urbi & populo dabantur. Hæc verò exta si fuerant sana prosperam; si corrupta & diminuta sinistram ominabantur fortunam, teste Lucano, qui infortunia Romanis futura ex extis colligit Lib: 1.

Nec cruor emicuit solitus, sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sangvine virus.
Fibra latet, parvusq; secat vitalia limes.
Cor jacet, & saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt produntq; suas Omenta latebras.

Conjectorum responsa erant eorum, qui per conjecturam ex somnijs vel ex astris interpretationes futurorum instituebant. Sed quàm dubia sit harum interpretationum fides, ostendit Cic: Lib: 2. de divinatione à Num: 119. usq; ad finem & præsertim Num. 120. dicens: *Vtrum igitur censemus dormientium animos per semetipsos in somniando moveri, an ut Democritus censet, externa, & adventitia visione pulsari? sive sic est, sive illo modo, videri possunt permulta somniantibus falsa pro veris.*

Testimonium Humanum est, quod ab homine proficiscitur & dependet ab authoritate virorum, eruditione & virtute illustriũ

tam

tam ab oratione sive sententia, tam *Libera*, ut sunt leges & præjudicia; quàm *Vi expressa*, ut sunt tormenta, minæ flagella: &c.

Danturne adhuc alij Loci Extrinseci? Dantur magisq; Oratoribus proprij *& tales sunt. Sententia symbolum, Eruditio, Tabula, Exemplum, Adagiū, Paradoxium, Stemma, Hieroglificum, Ænigma, & Apophthegma.*

Locus à Sententia est, cùm effatum alicujus insignis viri ad comprobandam rei alicujus dignitatem adducitur. v.g. si probando laborem esse proficuum adferret aliquis sensum Lipsij. *Laborantibus Dij allaborant.* vel Petrarchæ: *labor est materia virtutis & gloriæ.*

Locus à Symbolo est, cùm res aliqua signo seu indicio aliquo comprobatur, vel etiam exornatur. Symbolum enim est opus elegans rei alicujus imaginem penicillo depictam repræsentans. Cui additur inscriptio, quæ lemma seu epigraphe vocatur.

Locus ab Eruditione est, cùm propositâ materia inductione alicujus historiæ comprobatur. v.g. *Pericles in ducem Atheniensium electus sibi ipsi dicebat: Attende Pericles, Cives sunt, liberi sunt, Athenienses sunt, quos regis, & quibus praees.*

Locus ab Exemplo est, cùm rei gestæ vel quasi

gestæ, utili ad persvadendum id, quod intenditur, commemoratione aliquid comprobatur.

Locus à Fabula est, cùm à fictione alicujus rei proposita firmatur materia. *Qualis v.g. fabula est venti cum sole pugna, & aliæ multæ.*

Locus ab Adagio est, cùm vulgare aliquod effatum adducitur. v.g. *Asinus ad lyram*, vel *non ex omni ligno fit Mercurius.*

Locus à Paradoxo est, cùm inusitata rei inducitur assertio. v.g. *Nix ardens, frigens æstas.*

Locus à Stemmate est, cùm aliquid satis per se notum, quod generis nobilitatem demonstrat, adducitur.

Locus ab Hieroglyphicò est, cùm sensus mentis internæ per figuras animalium vel aliarum rerum expressus adfertur. v.g. *Veteres fortitudinem per leonem, mansvetudinem per columbam, vigilantiam per canem &c. hieroglyficabant.*

Hoc loco ipsa veritas Christus sæpissimè usus est, *Cælum, per sagenam missam in mare; per thesaurum absconditum, per granum synapis, explicando.*

Locus ab Ænigmate est, cùm obscurum aliquod dictum nonnisi per circumstantias & remotas proprietates rem significans adducitur. Ut est illud v.g. de carbone.

Natus in igne fui, periturus in igne vicissim,
Sylvas absumpsi, dignus in igne mori.

Locus ab Apophthegmate est, cùm res aliqua, insignis & gravis viri arguta responsione probatur. v.g. *Diogenem Craterus Alexandri Magni Præfectus homo prædives invitârat, ut ad se commigraret, ille respondit: malle Athenis salem lingere, quàm apud Craterum opiparâ frui mensâ, sentiens libertatem quamvis inopem omnibus divitum delicijs anteferendam. Laer*: Lib: 6. Cap: 2.

Adverte ex locis argumenta & rationes suæ materiæ seu Propositioni tam simplici quàm ingeniosæ seu Allegoricæ servientes, in quocunq; Genere causarum, qui vult petere, illos percurrere debet. v.g. Si ad hanc simplicem Propositionem: *Literæ servari & protegi debent*, peteret aliquis probationes & rationes, tunc Locus Definitionis daret illi hanc vel similem rationē: *quia quid sunt Literæ? nisi pretium & anima Orbis*. Locus Notationis, daret h. v S. *quia literæ quasi lites componunt*. Locus Conjugatorum h. v. s. *quia literatis hominibus sustentantur Resp, stant* Imperia. Locus Effectorum h. v. s. quia *literæ, omnibus præsidia ferunt, Martem & Bellonā juvant, homines immortales reddunt &c.* Locus similitudinis h. v. s. *ut Phœbus terras, aurum unio, sic literæ ornant* Imperia. Locus Contrariorum. h. v. s. *quia ignorantia deformat homines, &c* Locus ab Eruditione seu Exem-

plo

pla h. v. s. *quia Censorinus Cato adeo literas æstimavit, ut eadem nocte, qua moriturus erat, librum claudere recusaverit. Sed ad ultimum vitæ punctum legit, trutinavit.*

Locus à symbolo daret hanc vel similẽ rationem: quia *quidam calvariam humanã depinxit, supra eandem librum*, cum Lem: *vetat mori.* Ex alijs quoq; locis, simili modo rationibus desumptis, illisq; per aliquam speciem Argumentationis dispositis (de quo L. 2.) adhibitaq; Elocutione consurgit Oratio.

Adverte 2dò. Omnis Propositio debet constare subjecto Prædicatio & Copulâ. *Subjectum* dicitur terminus prior, de quo enunciatur alter. *Prædicatum* dicitur, quod de Subjecto enuntiatur. *Copula* est, quæ conjungit Prædicatum cum Subjecto, & exprimitur per verbum *est*, vel per aliud illa duo conjungens. v.g. istius Propositionis: *Lauretana Domus est novus recreationis humanæ Orbis*, Subjectum est *Lauretana Domus*; Prædicatum verò *Novus Orbis*; Copula, *est*. Aliquando etiam Propositio non eminenter habet terminos. v g. *Mars ferreus æruginem calamitatum invehit Regno.* hîc Subjectum est, *Mars ferreus*; Prædicatum, *Regno invehit æruginem calamitatum*. Rationes itaq; suæ Propositionis habere volens percurrat cum Subjecto pro-

positionis omnes Locos, & annotet rationes; tandem cum Prædicato; postea utriusq; rationes debitè conjungat. Vel etiam cum utroq; simul, Subjecto sc: & Prædicato Locos percurrendum est, si ita res postulet, aut melius censeatur; nec verò anxiè hærendum est in singulis locis, sed si in uno non occurrat ratio, ad sequentem locum eundum est. Non enim facilè quilibet locus argumentum subministrat, vel si subministrat, non semper solidum & firmum.

CAPUT V.
De Acumine.

QVid est Acumen? Est conceptus mentis acutus, de aliquo institutus, cum fundamento tamen sermonis à vulgari sensu distinctus. v.g. si aliquis institueret rationem, *quare Poloni pro Stemmate suo Aquilam habent*, dicendo, quia adhuc initio Gentis istius, Aquila primò ubi nunc Gnesna exstat, nidificavit, nullum esset acumen; si autem diceretur ideo, *ut nosceret Orbis, Polonos pro Patria, Genteq; sua non ire, sed volare paratos*, jam tunc appareret acumen. Juxta alios

acumen definitur: Est concors discordia, seu concordia discors Prædicati cum subjecto, sententiæ seu Prothasis cum Apodosi. v.g. *Illustres Ceræ Majorum tuorum extingvunt hostium furorem non accendunt.* hîc apparet, quód sit pugna inter Prædicatum & Subjectum; tunc verò fit inter Prædicatum & subjectum pugna, cùm vel epithetum vel aliud substantivum discordans apponitur ad subjectum.

Conceptus est 2plex: in rebus & in verbo. *Conceptus in rebus seu in sensu* est, quando al qua ratio de rebus instituitur. v.g. *quare Universitas Crac: aurea sceptra in stĕmate gerit. ut sciat orbis, quòd viros Regum & Principum fascibus nutriat pares.* vel etiam *quòd sapientes aureu sceptru pares cum Regibus sunt.* *Conceptus in verbo est*, quando duntaxat non jam in sensu, sed in ipso verbo acuminosus terminatur sensus. v.g. *Cæcus oculatissimus.*

Juxta alios *acumen seu conceptus est 3plex*: Contra naturam, Juxta naturam, & Præter naturam. *Contra naturam est*, quando Subjectum repugnat Prædicato. v.g. *hic fluvius Gentilitius crystallino undarum splendore non extingvit, sed accendit Oratorum lumina*: est enim contra naturam, ut flumen lumen accendat.

Iuxta naturam est, quando Prædicatũ non repugnat Subjecto. v.g. *hic fluvius arescentem*

Patriam saluberrimis irrigat sensibus: est enim de natura fluvij irrigare.

Præter naturam est, quando de re aliqua formatur ingeniosa ratio, quæ nec est contra naturã rei, nec juxta naturam. v g. *hic Gentilitius Cygnus liliatus pennis hostem de Patria proscribit.*

Adverte acumen tunc bonum & verum esse, quando illud inventum & efformatum non est in ipsa rei veritate, possibile tamen est. v.g. dum dico: *quare Eloquentiæ Cultores Tullianus campus operam navent.* ℟. *ut gloriæ & honorũ copiosam referant messem.* Optima verò illa acumina sunt, quæ sunt contra naturam, quia pariunt admirationem: admiratio verò fit, quando est duarum rerum quomodocunq; oppositarum concursus. Tunc autem fit contra naturam acumen, quando vel rei parvæ aliqua in dubio sensu cum aptitudine tamen attribuitur magnitudo, vel magnæ parvitas, vel vili pretium, vel pretiosæ vilitas &c. vel quando rei inanimatæ attribuitur, quod est proprium rei animatæ; vel etiam quando id non veris personis attribuitur, quod solummodò competit veris.

Vnde sunt acumina petenda? Ex Locis tam intrinsecis, quàm extrinsecis aq; Figuris; præcipuè tamen Locus à causa Finali, ab

Adjun-

Adjunctis, à Contrarijs, à Repugnantibus commendantur; quia in illis facilè inveniatur aliquid consentaneum vel dissentaneū subjecto. *Item* Fæcundus est pro acuminibus locus à Paradoxo & ab Ambiguo. *Tropi quoq;* ut Metaphora, Allegoria, Metonymia & Figuræ Rhætoricæ ut Paronomasia, Antithesis (in quo frequentissimus est Emanuel Thesaurus) Prosopopæia, Interrogatio &c. sunt fæcundissimi acuminum fontes. ut praxis & usus scholasticus diligentem Rhetoricæ cultorem fideliter docebit.

CAPUT VI.

De Locis Argumentorum Delectantium.

LOci *Argumentorum delectantium* sunt illi, ex quibus sumuntur argumenta ad auditorum animos conciliandos. *Suntq; 2plices* à Personis & à Rebus. *A Personis sunt tres.* à Persona Oratoris, à Persona Auditorum, & à Persona Adversariorum.

A Persona Oratoris sumuntur argumenta delectantia, cùm Orator sui instituti causas & rationes exponit, ostendens se eas ad dicen-

dicendum accepisse, vel admonitionis gratiâ, vel Patriæ amore, vel amicorum petitione, vel injuriarum justa ultione, vel officij ratione, vel deniq; publicæ utilitatis procuratione. Ita Cic: in Verrem L. 1. Num: 5. enumerat causas sui instituti inquiens: *Adductus sum Iudices, officio, fide, misericordiâ multorum bonorum exemplo, veteri consvetudine, institutoq; Majorum, ut onus hoc laboris atq; officij, non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore, mihi suscipiendum putarem.*

A Persona Auditorum sumuntur argumenta delectantia, cùm instituitur laudatio virtutum: ut sapientiæ diligentiæ, fortitudinis, clementiæ & aliarum multarum, quas vel omnes, vel præcipuas ostendimus inesse Auditoribus vel Judicibus. Ita Cic: facit pro M. Marcel: Num: 9. *Itaq; C. Cæsar bellicæ tuæ laudes celebrantur, illæ quidem non solùm nostris, sed penè omnium gentium literis atq; lingvis, neq; ulla unquā ætas de tuis laudibus conticescet.*

Adverte. Quoties vult delectare Auditores Orator, toties debet Orationem suam accommodare ad mores & conditionem eorundem; quos distingvet secundum ætatem, sexum vel fortunas. Aliter enim dicendum est apud juvenes, aliter apud senes, aliter apud tristes, aliter apud hila-

res,

res, aliter apud divites, apud pauperes aliter. Ad quod maximè proderit Oratori nosse diversas Auditorum proprietates: quia his vel maximè delectantur Orationibus, illisq; assentiuntur, quas suis ingenijs & moribus judicant convenire.

A Persona Adversariorum sumuntur argumenta delectantia, cùm Orator in odium & contemptum adducit adversariũ; quod fit, si illius improbitatem, injustitiam, imprudentiam, audaciam, crudelitatem, avaritiam, & id genus alia vitia ostendat. Cic: pro P. Sextio Num: 26. adducit Gabinium in odium, propter superbiam ejus, inquiens: *qua tum superbia cœnum illud ac labes amplissimi ordinis preces, & clarissimorũ civium lacbrymas repudiavit? me ipsum ut contempsit helluo Patriæ. &c.*

A Rebus loci Argumentorum delectantium sunt tres: à materia grata, à materia odiosa, & à materia mixta.

A materia grata sumuntur argumenta, cùm rei suæ gravitatem demonstrat Orator, eamq; laudando, causam adversariorum enervat. Ita Cic: facit Actione 1. in Verrem Num: 2. *Huic ego causæ Jud: cum summa voluntate & expectatione populi Rom: Actor accessi, non ut augerem invidiam ordinis, sed ut infamiæ communi succurrerem &c.* A Mate-

A Materia odiosa sumuntur argumenta, cùm rem ingratam, crudelem indignam vel injustam ostendit esse Orator. Ut facit Cic: pro Rege Dejotaro Num: 2. *Crudelis Castor, ne dicam sceleratum & impium, qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiæq; suæ terrorem intulerit ei, cujus senectutem tueri, & tegere debebat.*

A Materia mixta summuntur argumenta, cùm ostendimus rem crudelem esse, dignã tamen cõmiseratione; ingratam, sed necessariam; miseram, eam tamen, quæ restitui & sanari debet. Crudelem quidem & turpem rem dicit Cic: Oratione pro Milone, quòd Clodius in monumentis Majorũ occisus sit, non tamen à justitia prorsus remotam, quia in iisdem monumentis Clodius Marcum Papyrium ornatissimum equitem antea occiderat.

CAPUT VII.

De Locis Argumentorũ Moventiũ.

Loci *argumentorum moventium?* sunt illi, ex quibus sumuntur argumenta ad concitandum motum in animis Auditorũ.

Quid est Motus seu affectus Oratorius? Est impetus

petus quidam animi, ad appetendum vel aversandum aliquid ordinatus. *Suntq; 2plices.* Mitiores & Vehementiores. *Mitiores seu lenes sunt,* qui leniter animos Auditorum afficiunt, movendo eos ad dolorem vel ad voluptatem, ad metum vel ad audaciam, ad misericordiam vel ad crudelitatem, ad odium vel ad amorem, vel ad aliquod simile: habentq; tales motus locũ in Exordijs & Comicorum scriptis. *Vehementiores sunt,* qui animos Auditorum concitant vehementer, habentq; locum in Epilogis, & in scriptis Tragicorum.

Motus concitantur tribus potissimùm *modis: 1mò* à Persona Oratoris, quando Orator eodem affectu seipsum ostendit concitatum, quem in Auditores non audet excitare. Ut facit Cic: pro Mil Num: 79. *Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitij fuerit.*

2dò à Personis alienis, quando Orator aliquid describit, ut idem facere doceat Auditores, eorumq; animos ad similem præparet motum; quod tum fiet vel maximè, si à dissentaneis personis, vel etiam à rebus inanimatis moveatur affectus. ut v.g. facit Cic: pro eodem Mil: Num: 70. *Vide quàm sit varia vitæ commutabilisq; ratiò, quàm vaga volubi-*

volubilisq; fortunæ, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. &c.

3tiò *à Persona Auditorum* vel Iudicum, quando Orator ostendit se totam spem atq; fiduciam in virtute & sapientia Auditorum vel Judicum collocare. Ut facit Cic: pro Sylla Num: 92 *Vestræ sunt partes Iudices, in vestra mansvetudine atq; humanitate causam totam repono.*

Loci Argumentorum Moventium, tot possent esse, quot & Probantium; frequẽtiores tamẽ numerantur. 7.

I. *Locus à rationum conglobatione*, cùm rei alicujus natura vel per causas, vel per Effecta, vel per Officia vel per adjuncta definitur & explicatur. Per adjuncta personæ excitat motum Cic: in Antonium Philip: 3. num: 29. *Hanc ergo teterrimã belluam quis ferre posset, aut quomodo? quid est in Antonio, præter crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his tot conglutinatus est. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil prudens, nihil pudicum.*

II. Motuum Locus est *à Consequentium frequentatione*, cùm ea sive bona sive mala, quæ virtutem, aut vitium aut etiam rem aliam ut plurimum comitantur, enumerãtur. Ut facit Cic: Catil: 4. Num: 11. *Hanc vrbem videre mihi videor lucem Orbis terrarum, atq; ar-*

cem,

cem omnium gentium, subito uno incendiô conciden-tem, cerno animo sepultam Patriam, miseros atq; insepultos acervos civium: versantur mihi ante ocu-los aspectus Cethegi & furor in vestra cæde bacchantis.

III. Motuum Locus à *Dissimilium conflictione*, quando res dissimiles, in unum coacervan-tur. Ut facit Cic: Catil: 2. Num: 24. *Instruite nunc contra has tam præclaras Catilinæ co-pias vestra præsidia, vestros exercitus, & primũ Gladiatori illi confecto & saucio; Consules Imperato-resq; vestros exponite: deinde contra illam naufra-gorum ejectam ac debilitatam manum, florem totius Italiæ ac robur educite &c:*

IV. Motuum Locus est à *Contrariorum op-positione*, quando nimirum inter se contra-ria conferuntur. Ut facit Cic: Tusc: Quæst: 5. *Quid? cùm fateamur satis magnam vim in vitijs, ad miseram vitam, nonne fatendum est eandem esse vim virtuti ad beatam vitam.*

V. à *Causarum vel Effectuum conglobatione*, quando rei alicujus vel facti causæ addu-cuntur. Ut facit Cic: Pompeium bello Mithrydatico præficiendum esse svadendo: quia difficili Reip: tempore exercitũ con-fecit, quia ei præfuit, quia rem optimè gessit, quia adhuc eques triumphavit.

VI. à *similitudinum conglobatione*, quando rei alicujus similitudines, adducuntur. Ut fa-

cit

cit Cic: Philip: 2. Num: 115. Ut *quidam morbo aliquo, & sensûs stupore svavitatem cibi non sentiunt; sic avari, facinorosi veræ laudis gustum non habent.*

VII. Motuum Locus est *ab Exemplis*, quando nimirum plura exempla ad rem suam congerit Orator: Ut facit Cic: Catil: 4. Num: 21. *sit Scipio clarus ille, cujus consilio, atq; virtute Annibal in Africam redire atq; ex Italia decedere coactus est. Ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas vrbes huic Imperio infensissimas Carthaginem, Numantiamq; delevit. Anteponatur omnibus Pompeius, cujus res gestæ, atq; virtutes, iisdem, quibus solis currus regionibus, ac terminus continentur, &c.*

CAPUT VIII.
De Inventione Propria ipsoq; Genere Demonstrativo.

INventio Propria est, quæ circa Locos singulis, tribus, Causarum Generibus Demonstrativo, Delibrativo & Judiciali proprios, versatur. *Causarum Genera* quòd tantùm *sint* 3. *Demonstrativum, Deliberativum & Iudiciale* Ratio est *ima.* Quia materia, circam quam Orator in particulari versari

potest,

poteſt, *tantū eſt 3x.* ſc *Laudādi vel vituperandi* v.g. virtutes & vitia & de hac Genus Demonſtrativū. *Svadendi vel diſſvadendi* v.g. Pacem, Bellum &c. & de hac Genus Deliberativum. & *Accuſandi vel defendendi* v.g. innocentem vel reum. & de hac Genus Judiciale.

2da Quia *Auditor Oratoris formalis* tantùm *eſt 3x: vel* enim eſt qui voluptatis ſolius gratiâ Oratori peroranti intereſt & talis eſt in Genere Demonſtrativo, *vocaturq; Auſculator. Vel* qui conſulendi gratiâ bono publico, actioni Oratoris attendit. & talis eſt in Genere Deliberativo, *vocaturq; Senàtor* vel *Princeps*, qui Oratoris ſenſum vel ſequitur, vel reijcit vel moderatur. *Vel* eſt, qui ex partium controverſijs aliquid decernit, ſuâ ſententiâ condemnando reum, abſolvendo innocentem. & talis eſt in Genere Judicàli, *vocaturq; Judex.*

Dixi *Oratoris formalis, auditor formalis*. Quia ſicut, qui exercitij causâ ſuam vel alienam orationem perorat, non dicitur Orator ſed Declamator; ita, qui exercitij causâ perorantem audit, non èſt auditor, ſed potiùs Spectator vel Obſervator, actioni magìs, quàm orationi attendens.

3tia Ratio eſt: Quia Oratoris Officium

& Finis

& Finis in ſpecie, tantùm *eſt* 3x: 1. Laudare honeſta, vituperare turpia. & tale Officium eſt Generis Demonſtrativi; cujus Finis eſt Honeſtas. 2. Svadere utilia, disſvadere inutilia. & tale Officium eſt Generis Deliberativi, cujus Finis eſt Utilitas. 3. Accuſare reos, defendere inſontes. & tale officium eſt Generis Judicialis, cujus Finis eſt Juſtitia.

4ta Ratio eſt. Quia Tempus, materiam in particulari Oratori ſubminiſtrans, tantùm eſt 3x: *Præſens*, quod Generi Demonſtrativo. *Præteritum*, quod Generi Judiciali. *& Futurum*, quod Generi Deliberativo materiam præbet & fabricat.

Quid eſt genus Demonſtrativum? Eſt in quo laudamus vel vituperamus. laudamus virtutes, vituperamus vitia. Genus hoc *à Græcis* vocatur *Epidicticon* id eſt *Oſtenſivum*, quia eo, qualis quantaq; ſit res, oſtenditur, & quaſi ob oculos ponitur. *2dò* vocatur *Encomiaſticon* ſeu *Panegyricon* id eſt *Laudativum*: ſermo enim laudativus vocatur Panegyricon.

Partes Generis Demonſtrativi *ſunt duæ*: Laus & Vituperium. *Laus* eſt, quâ Perſona, factum vel res aliqua omni ſuſpicione carens, ſive illa ſit vivens, ſive non, ornatur.

Vitupe-

Vituperium eſt, quo alicujus mala aut vitia exponuntur, Hinc.

Officium Generis Demonſtrativi eſt, laudare honeſta, vituperare inhoneſta. *Finis* verò eſt *Honeſtas* tantùm, ad quam Orator laudando aliquod bonum invitat; vituperando malum, impellit.

Materia ſeu Objectum Generis Demonſtrativi, 1. ſunt Perſonæ ut DEUS, Angeli, Homines. 2. Perſonarum facta, dicta & inſtituta. 3. Res omnes ſive animatæ, ut eqvus, leo &c. ſive inanimatæ ut virtutes, ſcientiæ, urbes, arbores, folia &c, Hinc

Collige, ob triplicem Materiam *Generis Demonſtrativi*, *locos* quoq; illius *eſſe 3plices* Laudandarum Perſonarum, Laudandorum Factorum & Laudandarum Rerum. de quibus ſequitur.

CAPUT IX.

De Locis Laudandarum Perſonarũ.

PErſona à Bòëtio libro de duabus naturis definitur, quòd ſit *Rationalis naturæ individua ſubſtantia.* Proinde hîc nomine Perſonæ, DEUS, Angeli & homines intelliguntur.

DEUS, si Naturam & immensitatem illius spectes, non potest laudari: quia omnẽ intellectum creatum excedit. Si spectes illa, quæ super terram visuntur; DEUS non solùm potest, sed & debet omnino omnium Creaturarum lingvîs & nutibûs celebrari, ex his præcipuè locis: *1mò ab Adjunctu.* Si prædicetur Ejus in Essentia Majestas, in Majestate æternitas, in æternitate felicitas.

2dò Ab Effectu, Si v.g. laudetur DEI in creando sapientia, in gubernando prudentia, in defendendis bonis probitas, in frangendis improbis fortitudo, in puniendo justitia, lenitas in indulgendo, in sublevandis hominum miserijs perpetua bonitas ac prudentia.

3tiò per Definitiones conglobatas *v.g.* DEUS est principium sine principio, Lux incomprehensibilis, luminum Pater, bonum immutabile, donorum abyssus, mundi vita. &c &c. &c.

Angeli quoq; ex tribus Locis laudari possunt.

1mò A sua Natura incorporea, & materiâ carente: quia sunt spiritus puri.

2dò Ab adjunctis naturæ; nam sive intellectum respicias, est in ejs adumbrata quædam Divinæ Sapientiæ similitudo, quâ

verum

verum à falſo, bonum à malo diſcernunt, ſive voluntatem & affectum ſpectes, ſemper bonum amplectuntur.

3tiò ab Officio, quod ipſis eſt 3plex: Erga DEUM celebrare ejus infinitam Majeſtatem & mandata exequi. Erga pios, cuſtodire eos in vita, & poſt vitam in Cælum transferre. Erga malos, illos corrigere vel per inſpiramentum vel per conſiliũ.

Homo univerſaliter laudatur ex Locis 3bus. 1mò *ab Anima immortali*, cujus tres ſunt principales facultates: intellectus, voluntas & memoria.

2dò. A Corporis elegantia & præſtantia, de quo Ovid: Lib: 1. Methamorphoſeos:

Pronaq; cùm ſpectent animalia cætera terram.
Os homini ſublime dedit Cælumq; tueri
Iuſſit & erectos ad ſydera tollere vultus.

3tiò Ab harmonia, qua ſubſtantiæ diſpares ſc: ſpiritualis anima, & corpus in unam conſpirant formam ſeu ſpeciem. His tamen non obſtantibus.

Loci laudandarum Perſonarum ſunt triplices: Antecedentes perſonam, cum perſona Conjuncti & perſonam Conſequentes.

Quot ſunt Loci Antecedentes Perſonam? Sex. Patria Genus, Parentes, Auguria, Oracula & Miracula.

Per Patriam intelligitur natale solum, in quo aliquis natus est, sive sit pars mundi, v. g. Oriens, Occidens, Septemtrio vel Meridies; sive Major pars terræ, v. g. Europa, Asia, Africa, vel America; sive Regio aut Provincia; sive Civitas, sive vicus. Ex hoc loco laudatur aliquis *imò*, si sit Patria nobilis, quæ multas interq; maximas Civitates primum celebritatis locū habeat.

2dò. Si Patria multos viros illustres tulerit, nimirum Fundatores, Legislatores, Pios, sapientes &c. Hinc Pacatus Hispaniam Thèódosij Patriam extollit. *Hæc bellaces milites, hæc peritissimos Duces, hæc facundissimos Oratores, hæc clarissimos Vates protulit, hæc Iudicum & Principum mater est, hæc Trajanum illum; hæc deinceps Adrianum misit, huic te debet Imperium &c. Hinc eleganter Luc: de populis septemtrionalibus.*

Omnis in Arctois populus quicunq; pruinis
Nascitur, indomitus bellis & Martis amator.

3tiò. Si Patria fuerit Cæli clementiâ, fertilitate situq; nobilis, amænitateq; loci commendata. Si templa, fora, leges, arma, mores, literas, nationumq; decora habeat. Totum hoc idem expressit Pacatus in Theodosij Panegyrico. *Tibi Mater Hispania*

pania est, terris omnibus terra felicior, cui excolendæ atq; adeò ditandæ impensiùs quàm cæteris Gentibus supremus ille terrarum Fabricator indulsit, quæ nec Austrinis, obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, media fovetur axis utriusq; temperie, quæ hinc Pyrrenæis montibus, illinc Oceani fluctibus, inde Tyrrenni maris littoribus coronata, naturæ solertis ingeniô, velut alter Orbis includitur.

4tò. Si Patria fuerit ignobilis, dicet Orator ab aliquo Patriam non eum à Patria exornatum, asseretq; ubiq; locorum viros magnos posse nasci, & in exiguo tugurio ingentis animi virum existere. Ad quod Juvenalis Satyrâ 10. alludit:

- - - - Cujus prudentia monstrat
Summos posse viros & magna exempla daturos
Qualibet in Patria crassoq; sub aëre nasci.

Per oppositum hinc trahi potest vituperium, præsertim si quis splendore Patriæ insolescat, ipse vita moribusq; infamis. Unde quidam objicienti sibi quòd est Scytha, respondit; *mihi probro est Patria; tu verò Patriæ.*

Per Genus intelligitur Familia seu Prosapia, ex qua aliquis suam ducit originem. Hinc aliquis laudatur. *imò* ostendendo in eo nobilitatem, virtutum esse parentem, laudumq; originem. Hinc Claudianus.

- - - Nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atq; omnes redeunt in semina causæ:

2dò ob antiquitatem Familiæ, ob eximias virtutes honoresq; à Majoribus gestos, quibus ille correspondeat. Hinc Virgilius:

Cui Genus à Proavis ingens, clarumq; Paternæ
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis.

Servit pulcherrimè antiquitati Familiæ illud Virgilij de apibus.

At Genus immortale manet multosq; per annos
Stat fortuna domûs, & avi numerantur avorū

3tiò. Si dicatur, quòd aliquis non solâ nobilitatis certet gloriâ; sed proprijs magnisq; virtutibûs eminere contendat. tale est illud Claudiani de Romanis Principibus.

Altera Romanæ longè Rectoribus aulæ
Conditio, virtute decet non sangvine niti.

4tò. Si Genus sit obscurum illius, qui laudatur, ostendet Orator eum, genus suū propriâ virtute illustrâsse, ac ob id laude dignum declarabit. Hinc Juvenalis Satyrâ 12.

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo
Sangvine censeri, pictosq; ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos.
Tota licèt veteres exornent undiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est atq; unica virtus.

Per oppositum vituperatio hinc habebitur, si ostendatur nobilitatem nullam illi deferre gloriam, qui eam proprijs non illustrat virtutibûs, de quo eleganter Pòëta.

Nam quid imaginibûs, quid avitis fulta triumphis
Atria? quid pleni numeroso Consule fasti
Profuerint? si vita labat, perit omnis in illo
Laudis honos, cujus laus est in origine sola.

sic & Juvenalis Satyrâ 8.

- - *Quis enim generosum dixerit hunc, qui*
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis: miserum est aliorum incumbere famæ &c.

Per Parentes Pater & Mater intelligendi, à quibus unusquisq; trahit immediatè cum vita originem. Laudaturq; hinc aliquis si ostendatur Parentum suorum virtutes referre monstraturq; degener ab illis non potuisse nasci, juxta illud Horatij.

Fortes creantur fortibus & bonis
Est in juvencis, est in equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Hinc & Cic: Ver: 2dâ Num: 52. in similitudinem virtutum Parentis quendam excitat: *Circumstant te summæ auctoritates, quæ te oblivisci laudis domesticæ non sinant, quæ te dies, noctesq; commoneant, fortissimum tibi Patrem, sapientissimum Avum, gravissimum socerum fuisse.*

oppositum vituperatio habetur in degeneres, si plerumq; Heroum Filios noxas esse ostendat Orator, & depravato sæculo nasci plurimùm ex bonis pessimos. Juxta oppositam superiori effato ejusdem Lyrici palinodiam.

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas Parentum pejor avis tulit
Nos neqviores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Per Auguria. intelliguntur denuntiationes Augurum, qui apud antiquos Deorum interpretes esse credebantur. Quoniam verò apud Christianos talium Auguriorum nullus est usus: proinde & nulla ab illis laus usurpanda.

Per Oracula intelligitur vox Divini Numinis, Scripturæ sacræ, Traditiones, Concilia, Romanorum Pontificum consensus, sanctorum Patrum & Doctorum Ecclesiæ approbationes, ac Sanctorum Virorum sensus, & his similia, quibus magna fides habenda; eaq; ut Divina oracula accipienda.

Laudatur aliquis ab Oraculis, si ostendatur quæ sunt de eo Divinitùs, sive per Angelos, sive per Prophetas, sive per alios viros spiritu Divino afflatos pronunciata. Hinc laudatur Sanctus Joannes Baptista,

quòd ejus innocentia & Angelica puritas per Malachiam Prophetam prædicta fuerit illis verbis: *ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.*

Per Miracula seu Prodigia intelligendi sunt eventus, qui præter communem naturæ cursum fieri solent. Quale illud fuit qvòd nascente Platone aurea pluvia decidisset.

Laudatur aliqvis à Miraculis, si quæ natalem illius antecessêre diem: si dixerit Orator, nonnisi ad magna & præclara quæq; divinitùs fuisse ordinata. Ita miraculum ex somnio Matris Divi Dominici denunciatum erat, qvòd esset editura Filium, qui suâ doctrinâ totum esset illustraturus Orbem. Somniavit autem se peperisse catulum accensam facem tenentem. Ita Ambrosij infantis os, examen apum consedisse dicitur, quod erat signum mellifluæ ejus eloquentiæ futuræ. Et Servij Tullij parvuli prodigiosa flamma comas lambere & circum tempora pasci visa, Romanorum Regem prædixit.

Quot sunt Loci cum Persona Conjuncti? sunt tres: Bona animi, Bona Corporis & Bona Fortunæ.

Bona Animi sunt, quæ ipsum tantùm animum concernunt, quales sunt virtutes tàm

Intellectuales, ut est scientia, ingenium, judicium memoria: quàm Morales, ut est prudentia, verecundia, liberalitas, clementia, modestia.

A virtutibus laudandi permulta fertilitas est, cùm enim virtutes tantæ sint, ut cæteris rebus decus & ornamentũ adferant, & juxta Plautum: *Omnia ei adjuntq; bona, quem penes est virtus.* ideò etiam laudes à virtutibus petitæ, ut plurimæ sunt, ità solæ veræ ac solidæ censentur. Quia verò plures sunt virtutis species, à quibus laudes sumi possunt, ideò de illis singulatim.

A Sapientia (quæ est rerum Divinarum humanarumq; scientia) aliquis laudari potest.

imo. Si dicatur esse Divinæ mentis particeps, in dictis factisq; eximius vir. cujus dicta tanquam oracula celebrentur, ità, ut ea sequi cupiat ventura posteritas.

2dò. Si dicatur multarum scientiarũ cognitionem habere, solusq; ex dogmatibus Authorum ea collecta tenere ostendatur, quæ alijs per partes concessa sunt. Ita Claud: de Manlij & Theodosij consulatu eosdem à sapientia extollit.

Quidquid Socratico manavit ab ordine, quidquid
Docta Cleanthea sonuerunt atria turbæ,
Inventum quodcunq; tuo Chrysippe recessu

Quid-

Quidquid Democritus risit, dixitq; tacendo
Pythagoras, uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, & major collectis viribus exit.

Et in alio loco idem Pòëta dicit:

- - - - Sparguntur in omnes,
In te mista fluunt, & quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Ab Ingenio laudatur aliquis, si ea animi vi polleat, quæ facilè extendatur ad cognitionem incognitorum & difficilium.

A Judicio, si salutaria capiat consilia & subministret.

A Memoria, si dicatur hoc naturæ bono supra fidem excellere, atq; infinitas rerū species brevissimo tempore posse percipere. Tantæ memoriæ fuisse dicitur L. Annæus Seneca Rhetor, ut salutantibus se extemporaneîs versibûs, plùs quàm ducentis Discipulis, singulis statim retrò verso ordine redeunte ab ultimo usq; ad primū responderit & gratias egerit. Cyrus quoq; Rex Persarum singulos sui exercitus milites licetsi innumerabiles, proprijs nominibus appellabat.

A Prudentia (*quæ est animi lucerna & recta rerum agendarum ratio*) laudatur aliquis *imò*, si dicatur esse altâ mente præditus, & quód animus ejus sit tanquàm aliquod oraculū

2dò Si consilijs aliorum acquiescat. *3tiò.* si viros spectatæ virtutis & probatæ fidei audiat. *4tò.* si non temere arcana sui pectoris aperiat & promulget *5tò.* si honestè & celeriter agat quidquid lentè constituerit, siq; pro loco & tempore suam sententiam immutet.

A Iustitia (*quæ est virtus jus suum unicuiq; reddens*) laudatur aliquis, si dicatur, quod unicuiq; quod suum est reddere studeat, nihilq; audeat, quod jure non liceat. Hinc laudatur Trajanus Imperator, quòd nihil magis desideraret, quàm ne quis se imperante contra justitiam delinqueret. Unde quoties Præsidem alicujus Provinciæ assignabat, strictum gladium illi in manus porrigebat dicens: *Accipe gladium quem pro me, si bene & cum ratione imperavero distringes, sin minùs, ad interitum meum utere.*

A Temperantia aliquis laudatur. *1mò.* Si in cultu corporis nihil attingat, quod luxum & ostentationem inanem redoleat. *2dò.* Si liberaliter sit frugalis. *3tiò.* Si in cibo & in potu singularem servet abstinentiam. Unde Trajanum Plinius eo temperantiæ profectum ait, ut meritò ambigi possit, majorne fuerit in eo bellica fortitudo, & rerum gestarum gloria? an victûs frugalitas.

Inve-

Invehit in oppositum huic virtuti luxûs vitium Lucanus libro *4tò*:

- - - O prodiga rerum
Luxuries nunquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum terra, pelagoq; ciborum
Ambitiosa fames? o lautæ gloria mensæ!
Discite quàm parvo liceat producere vitam,
Et qvantum natura petat.

A Fortitudine laudatur aliquis. *1mò.* Si prævalido viriũ pollens robore, omnia cõtemnat pericula eaq; à se fortiter repellat, qvod celebrat Claudianus in Stilicone:

- - - - Rupta si mole Typhæus
Vinclis prosiliat, Titius si membra resolvat,
Si furor Enceladi projectâ mugiat æthnâ,
Opposito Stilicone cadet.

2dò. Si in eo Fortitudo sit constans adversùs omnes minas & terrores. Talem Catonis fortitudinem declarat Seneca: *Nemo mutatum Catonem, quoties mutatur Respublicâ vidit, eundem se in omni statu præstitit, &c.*

3tiò. Si demonstretur in eo fortitudo voluntaria, quòd scilicet non aliqua necessitate ad id fuerit coactus, sed ultrò ac benevolè quæq; adversa subeat, fortiterq; pectore ac infracto animi robore sustineat. Talis fuit Scævola, qui spectantibusq; hostibus pro integritate Patriæ manum exussit.

A Pietate laudari poteſt aliquis. *imò.* quòd Majeſtatem Divinam omnibûs colat modis, cultumq; ejus promoveat, Templa ædificet, ditet, eaq; cum precibus adeat ſupplex. *2dò.* quòd Religionem Orthodoxam fortiter tueatur: qvia *ut inquit Juſtinus Libro 8.* Ille Dijs proximus habetur per quem Divina Majeſtas vindicatur. *3tiò.* quòd ſit amans Patriæ, obſervans Parentũ, Præceptorum atq; aliorum ſuperiorum. Hinc extollitur Æneæ pietas, Patrem è Trojano incendio proprijs humeris efferentis:

Per medios hoſtes Patriæ, cùm ferret ab igne
Æneas humeris dulce Parentis onus
Parcite dicebat: vobis ſene adorea rapto
Nulla erit erepto, ſed Patre ſumma mihi.

A Verecundia (*quæ aliarum virtutum conſervatrix ſeu cuſtos dicitur* laudatur) aliquis. Si dicatur mentis eſſe honeſtæ, frontisq, ad omne inſolitum erubeſcentis. Hinc Plinius in Trajano cùm multa corporis & animi ornamenta deprædicat, virtutis, hunc colorem verecundiam cultiſſimè commendat. *Vidimus inquam demiſsô gaudiô vultum, tantùmq; ſanſangvinis in ore, quantùm in animo pudoris.*

A Liberalitate (*quæ eſt Princeps virtutum & Principum virtus ,bene diſponendi divitias in uſus bonos*)

nos) laudari poteſt aliquis. *1mò.* ab ipſo munere, quod alicui offertur. v.g. ſi aliquis Princeps tributa diminuat vel remittat, honores vel magiſtratus non reſpectu aliquo, ſed meritorum æſtimatione nonniſi dignis conferat, aut ædificia ſivè nova excitet, ſivè collapſa reſtauret, attamen citra luxum & inanem æſtimationem. *2dò.* à perſonis, quibus datur munus, nimirùm ſi dignis, benè meritis & juſta petentibus, præcipuè afflictis & indigentibus donum conferatur. *3tiò.* A modo quô datur, ſi videlicet hilariter, jucundè, promptè & celeriter, liberè & ultro liberalis exiſtat. Elegantes hac in materia ſententias habet Seneca de beneficijs. *4tò.* à fine, quòd ſolo honeſtatis amore in conferendis beneficijs ſit liberalis, ſinè retributionis & præmij ſpe. A Liberalitate Claud: in Paneg: de Probini & Olibrij conſulatu Probinum extollit:

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, ſed largior imbre,
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denſos currentia munera nimbos
Cernere ſemper erat, Populos undare Penates.
Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos;
Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos,
Aurea dona vehens. *Acle-*

A Clementia (quæ est lenitas superioris adversùs inferiorem in constituendis pænis) Regibus præcipuè & Magistratibus convenienti virtute laudatur aliquis.

1mò declarando, qvòd semperabhorreat à sangvine perfundendo. Hinc laudatur Scipio, qui dicere solitus, erat: *malle se unum Civem servare, quàm mille hostes occidere.* Et Thèódosius Junior, qui quæsitus aliquando cur neminem inimicorum suorum capitis supplicio afficeret? ℞ utinam mihi liceat & mortuos ad vitam revocare

2dò. Quòd summa cum animi felicitate pœnas removeat vinctis debitas. Hinc clementiam in Honorio laudat Claud: de 4to Consulatu Honorij.

- - - - Non insultare jacenti
Mallebat, mitis precibûs, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat paci non intulit iram,
Post acies odijs, idem qui terminus armis
Profuit, hoc vincente capi multosq; subactos
Aspera laturæ commendavêre carinæ.
Magnarum largitor opum, largitor honorum,
Primus & in meliùs gaudens convellere fata.

3tiò. Qvod victor licèt sit, victis tamen vitam, fortunam, libertatemq; restituat, Hinc Cic: Cæsaris clementiam pro M. Marcell: extollit Num: 8. *Animum vincere, iracondi-*

tundiam cohibere, victoriam temperare, adversariũ nobilitate, ingeniô, virtute præstantem, non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, hæc qvi faciat non ego eum summu viris comparo, sed simillimum Deo judico.

4to. quod offensus facilè leniatur, nec diu irascatur. Tales enim sunt viri excelsæ & generosæ mentis, ut testatur Ovidius.

Quo quisq; est major magìs est placabilis irâ
Et faciles motus, mens generosa capit.

A Severitate (quæ est virtus inflexibilis circa inflictionem pænæ, dum id justa ratio expostulat,) *laudatur aliquis.* Si dicatur impios & nocẽtes justîs pænîs afficere. Nam violenta mala, violenta etiam quærunt remedia attestante Ovidio:

- - - - Immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

A Modestia (quæ est virtus decorem servans in omni vitæ actione, sinè qua in vitium abeunt aliæ virtutes) laudatur aliquis *imò.* Si se in omnibus actionibus modestè gerat. Hinc Plinius Trajanum laudat, dicens: *illum eò magîs eminere, quò se unum è Civibus putet: nec minus hominem esse, quàm cùm meminerit hominibus se præesse.*

2do Si omnes benevolentiæ ac voluntatis propensæ significationes, humiliter ac huma-

humaniter complectatur, cunctisq; testetur; monente Seneca Libro de clementia: *Esto Sermone affabilis, accessu facilis, vultu amabilis. &c.*

3tiò. Si honores, quos cuncti mortalium ambiunt, effugiat.

4tò. Si semper legibus se subijciat, quamvis propter dignitatis eminentiam, illis parere, tantopere teneri non videatur. Hinc Plinius Trajanum laudat, quòd etiàm à suis subditis pateretur, se in jus vocari.

Qvid sunt Bona Corporis? Sunt, quæ concernunt & exornant corpus; qualia sunt robur seu vires, corporis agilitas, pulchritudo, exercitatio. &c.

A Viribus seu robore aliquis laudari potest *1mò.* si dicatur vires habere corporis pares quibusvis laboribus oneribusq; ferendis. *2dò.* si dicatur, quòd virtus hæc homines imperiô dignos efficiat. Unde apud Medos nemo Imperator poterat esse, nisi qui viribûs corporis cæteros anteiret.

3tiò. si dicatur hoc robore corporis ad defendendam Patriam usum fuisse, dicaturq; fortes & robustos viros semper præmijs fuisse exornatos. Sic apud Romanos in vim præmij *Coronæ* distribuebantur & quidem

dem *Castenses* illis qui primi castra hostium pugnantes introivissent. *Murales*, qui primi hostium muros subijssent, quæ aliô nomine *Obsidionales* vocabantur. *Navales*, qui Maritimo prælio primi in hostium navim insiluissent, habebantq; pro insigni tales rostra navium.

4tò Si ostendatur aliquis, robur corporis cum animi fortitudine conjunctum habere.

Ex eodem Loco vituperatio sumitur, si ostendatur, robur corporis segetem esse vitiorum, iræ, superbiæ, sæpeq; tyrannidis incitamentum, imò adjumentum. Undè quotquot Tyranni fuêre, ut plurimû portentosis viribus pollebant. Caligulam notissimum Tyrannum eminentem ac robustum Tranquillus describit. Vitellium enormi proceritate fuisse tradit Svetonius. Aut si sub magno corpore parvus ostendatur. Ut Emanuel in quendam dicit. *Membra legem excessêre ut animum legem caperent.*

A Pulchritudine seu Forma quam alij mutum Oratorem, alij literas commendaticias, quidam Regnum sinè satellicio dixêre. laudatur aliquis. *imò.* si dicatur excellenti quâdam formâ ac membrorum simmetriâ mirum in modum compositâ esse præditus,

2dò. Si in eo pulchritudo corporis dicatur esse pulchri animi indicium, argumentum Divinitatis & virtutis comes.

3tio. Si dicatur ipsa sui venustate mereri Imperium. Quod Claud: in Stilicone extollit.

Iam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibas,
Spondebatq; Ducem celsi vigor igneus oris.

Id ipsum in Theodosiò Pacatus celebrat. *Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium, illa præstitit, ut oporteret te Principem fieri, hæc ut deceret.* Si verò deformis sit, qui laudatur, dotibûs animi deformitatem compensare ostendatur. Juxta illud Ovidij.

Si mihi difficilis formam natura negavit;
Ingeniô formæ damna rependo meæ.

Ex eodem Loco vituperatio quoq; alicujus habetur. *1mo* dicendo præstantiam formæ carere laude, si virtute careat, neq; esse commendabilem, si virtutem in pulchritudine, non pulchritudinem in virtute proponat.

2do. multis vitijs esse obnoxiam. Unde Ovidius. *1mo.* Fastorum.

Fastus inest pulchris sequiturq; superbia formā

3tiò. dicendo illam esse fragilē. Ut Ovidius

Forma bonū fragile est, quantumq; accedit ad annos
Fit minor & spatio carpitur ipsa suo.

Ab Exercitatione corporis laudatur aliquis, ſi dicatur de eo, quod equitando, venando, arcum tendendo gladium vibrando, ſpicula jaciendo, alioſq; labores ad fortitudinem viam ſternentes diligenter obeundo ſeſe exercuerit. Ut Claudianus Honorium de Conſulatu tertio laudat.

Ab Agilitate laudatur aliquis? ſi dicatur pedum velocitate & totius corporis motu multùm valere. Qualis dicitur Hercules fuiſſe, qui cervam àëripedem aſſecutus eſt.

Quid ſunt Bona Fortunæ? ſunt quæ proveniunt à fortuna, qualia ſunt: Nativitas, Nomen, Educatio, Studia, Felicitas, Honores, Gratia, Authoritas, Potentia, Amici, Opes &c.

A Nativitate potiſſimùm laudatur aliquis *1mo.* à tempore, ſi natus ſit die aliquo celebri & communi lætitiæ dicato, vel etiam eô die, quo quiſpiam illuſtrior. Hinc quendam Philoſophum laudat Plutarchus, quòd die Apollini ſacro, quo ipſe quoq; Plato in lucem editus fuerit. Idem laudat Numam Pompilium; quòd illo die natus fuerit, quô Roma à Romulo condita eſt.

2dò. A modo Nativitatis ſeu curſu, ſi felix & ſalutaris fuerit dies natalis ejus, qui laudatur. Ita Plinius Trajanum extollit

quòd natali suo Consulatum inijsset. *Quàm pulchrum nobis! quibus edicto, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio lætum, qui Principem abstulit pessimum Domitianum, dedit optimum Nervam; meliorem optimô genuit Trajanum.* 3tiò. *Ab ordine* Nativitatis. Si prior alijs in lucem editus fuerit. Siquidem omnibus fermè gentibus in more positum est, ut filiorum primus ad Principatum promoveatur. Huc spectant Oracula, Miracula & Auguria, quæ sub tempus Nativitatis fiunt.

A Nomine laudatur aliquis. *1mo.* si ostendatur nomen ei impositum esse ab aliquo illustri viro, idq; non casu aliquo, sed virtutis gratiâ.

2dò. Si vel sola significatione nominis ad præclara quæq; concitetur. Hinc Trajanum Plinius extollit. *Nomen Illud, quod alij primo statim Principatûs die, ut Imperatoris & Cæsaris receperunt. Tu eo distulisti, donec tu quoq; beneficiorum tuorum parcissimus æstimator, jam te mereri fatereris. Itaq; soli omnium contigit tibi, ut Pater Patriæ esses, antequàm fieres. Quod equidem nomen, quâ indulgentia, quâ benignitate exerces? Ut cum Civibus tuis, quasi cum liberis Parens vivis. Eundem nos eundem te putas, omnibus & ab hoc tantum cæteris major quô melior.*

Ex eodem loco vituperatio habetur, si aliquis nomini sit contrarius suo. Unde Alexander magnus militi Alexandro nomine, sed re ignavo ac scelerato dixit: *Aut mores aut nomen muta.*

Ab Educatione, quæ virtutum quoddam totiusq; ætatis seminarium est, laudatur aliquis *imo.* Si ostendatur, quòd magna cum diligentia Parentum ac Patronorum semper inter bonos atq; à bonis fuerit educatus, tum quibus & quàm claris Præceptoribus usus fuerit, quibusq; artibus fuerit imbutus.

2do. Si ostendatur hanc ætatem, quam alij turpi otio devovere solent, ab eo honestissimis exercitationibûs consumptam fuisse. Hic commendari potest puerile ingenium, indoles, docilitas, & alia, quæ in pueris excellunt attributa. Hinc Probini pueritiam ac indolem extollit Claudianus.

Cœpisti qua finis erat primordia tanta,
Vix pauci meruêre senes metasq; retractas
Ante genas dulces, quàm flos juvenilis inumbret,
Oraq; ridenti lanugine vestiat ætas.

A Studijs Liberalium Artium laudatur aliquis *imo.* à dignitate Artium Liberalium, ostendendo, quòd sit verè nobilis ac liber, qui disciplinis excultus sit, cùm illæ solæ sint

qvæ liberos ac verè nobiles facere solent.

2do. Ab honestate, ostendendo ipsam virtutem ac morum elegantiam tantò nobiliorem illustrioremq́; putari, quantò literis fuerit conjunctior.

3tio. Ab innocentia vitæ, ostendendo disciplinis excultos homines credi alienos esse à vitijs, & moribûs optimis præditos esse juxta illud:

- - *Doctrina mores non sinit esse feros.*

4tò. A necessario, affirmando per solas scientias homines magnos fieri, & ad præclara quæq́; esse idoneos. Hinc Constantinus dicere solitus erat. *Vtinam ex eruditione magis commendarer, quàm ex Imperio.*

5tò. A propensione, quanto affectu in literas & literatos feratur, quasq́; & quàm multas liberales calleat Artes.

A Felicitate (per quam faustus rerum successus intellligitur, cunctaq́; ad vota venientia) laudatur aliquis, *imo.* ostendendo, quòd cuncta ei sive bello sive pace felicissimè succedant.

2do. quòd tàm in privatis quàm in publicis rebus celeriter & facile omnia, quæcunq́; voluerit, consequatur. Felicitatem in armis Theodosij Pacatus extollit. *Sermo iste prolixior est, quàm illa res, fuerit. Vix flu-*

vium

vium invicta manus transierat, jam locum belli tenebat. Vix hostem invenerat, jam urgebat, vix pectora viderat, jam terga cædebat.

Ab Honoribus laudatur aliquis *1mo.* Si dicatur, quod ab eo provectus sit ad honores, qui nonnisi dignos promovere solet.

2do. quòd non fortunæ inconstantis favore sed per gradus virtutum meritorumq; ad fastigium honoris pervenerit.

3tio. quòd nullo ductus fuisset ambitu ad honores, sed illos vix coactus susceperit.

4to. quòd ad illos non sit insolentior, sed omnia pro bono faciat communi. Hinc Plinius Trajanum laudat. *Manet Imperatori quæ prior humanitas ac pietas, incedebas pedibus incedis. lætabaris labore, lætaris eodem. Nihil in te fortuna mutavit, liberum est ingredientem per publicum Principem subsistere, occurrere, comitari, præterire. Hæret lateri tuo quisquis accesserit finemq; sermoni suus cuiq; pudor, non tua superbia facit.*

5to. quòd lege quâdam successionis eos honores obtinuerit, quos Majores illius longâ serie gerebant. Hinc Claud: de Probini & Olibrij Consulatu.

Hic neq; per dubium pendet fortuna favorem,
Nec novit mutare vices, sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos, quemcunq; requires
Hac de stirpe virum certum est de Consule nasci;

Per fasces numerantur Avi, semperq́; renata
Nobilitate vigent, & prolem fata sequuntur,
Continuum simili servantia lege tenorem.

A Gratia & Authoritate laudatur aliquis, *1mò.* Si multis ijsq́; bonis placere ostendatur. *2dò.* Si in magno valore apud omnes, vel saltim apud eos, qui meliorem nominis & virtutis notam habent, existat.

A Potentia laudatur aliquis, si ostendatur in summa potestate esse, lenitatem tamen & clementiam in omnes servare. Qualis fuit Pompeius, qui Tygranem Armeniæ Regem à se victum diademate donavit, certis tantùm conditionibus ei imperatis.

Ab Amicis, qui dimidium animæ dicuntur, laudatur aliquis *1mo.* Si habeat bonos illosq́; multos, qui illum ipsum non ejus bona ament, quosq́; virtus & integritas commendat. *2do.* Si fuerit cautus in eligendis amicis, Cicerone docente *multos modios salis edendos esse, ut amicitiæ munus expleatur.*

A Facultatibus seu opibus laudatur aliquis *1mo.* Si ostendatur licito & honestô modo illas acquisivisse, quodq́; multas habebat. Ut apud Romanos Marcus Crassus, qui ære proprio decem millia exercitûs aluit.

2do. Si acquisitis rectè fuerit usus, & nunquàm ab illis virtutem sejunxerit, neq́;

illis

illis colligendis nimium fuerit intentus, Hinc Plinius suum commendat Trajanum, quòd omnes suas opes in libertatem & munificentiam contulerit, nihilq; magìs suum crediderit, quàm quod inter amicos haberet.

Quot sunt Loci Personam Consequentes? Communiter numerantur *duo*: Mors, & ea quæ post mortem eveniunt.

In Morte considiranda sunt hæc tria. Genus, Causa & Tempus Mortis. *Genus Mortis* est, in quo spectanda est mortis ratio, num naturali morte, num violentâ, num repentinâ, num prævisâ obijerit aliquis.

Causa Mortis est, in qua occasio illius est consideranda, propter quam mortem aliquis subijt *v.g.* an propter Patriam, ut apud Romanos Curtius, qui pro salute Patriæ occubuit sponte; an propter aliquam honestam obijerit causam. *Tempus Mortis* est, in quo consideratur ætatis gradus, quo tempore obijerit, num eo, quô maximè Reip: Ecclesiæ, aut Civibus prodesse posset.

A Morte laudatur aliquis *1mo.* Si dicatur, quòd fortiter pro Patria pugnando, aut aliqua publica munia exeqnendo, aut propter fidem amoremq; Dei, vel pro liber-

tate, pro veritate, amico, aut pro alia honesta causa occubuerit. *2do.* quòd constanti animo mortis impetum sustinuerit, quòdq; cum optima dispositione decesserit.

Post Mortem consideranda sunt quinq;. 1mo. Pompa Funebralis, à qua laudatur aliquis, si dicatur adeò sumptuosum & splendidum fuisse apparatũ funeris, ut omnes in admirationem raperet.

2do. honores mortuo exhibiti, ut sunt *v.g.* Statuæ, Imagines, Epitaphia, orationes &c.

3tio. Luctus & desiderium. Unde laudatur aliquis ostendendo, quòd omnes ex ejus obitu vehementi dolore sint perculsi, & quòd magnum sui desiderium in omnium animis reliquerit. Sic legitur de Tito Bruto, qui Tarquinios ex Urbe ejecit, quòd ejus mortem Romani toto anno luxerunt. Hoc & in Polonia factum, cùm Poloni Boleslaum Chrobri Regem fortunatissimum sublatum è vivis toto anno deplorârunt, nemoq; nuptias celebravit, omnes incedebant squalore induti.

4to. jactura Reip Unde laudatur aliquis, si enumeratis ejus meritis & beneficijs erga Rempublicam, illis jam in posterùm destitu.

destitui eandem Rempublicam mortuo tam eximio Viro, ostendatur.

5tò. Consideranda est mortui fama, literarum atq; historiarum monumenta; à quibus laudatur aliqvis, si ostendatur, quòd multorum Oratorum atq; Pòëtarum cálamîs lingvîsq; nomen illius ad immortalitatem transscribatur.

CAPUT X.

De Locis Laudandorum Factorum

LOci laudandorum Factorum sunt ij, ex quibus sumuntur argumenta in laudem cujuspiam facti. Suntq; *2plices*: Probationis & Amplificationis.

Probationis sunt 4. Honestum, Utile, Necessarium & Difficile.

Factum ab honesto laudatur, si ostendatur, quòd sit conjunctum cum aliqua virtute, v.g. Religione, fide, pietate, justitiâ, clementiâ &c. Hinc laudari posset factum Attilij Reguli, qui patriã servare volens, ad castra hostium redire maluit, gravi suppliciô afficiendus, quàm fidem datam hosti violare.

Factum ab utili laudatur, si ostendatur,

quan-

quantum afferat commodi, aut dispellat incommodi. *Seu* si dicatur, qvòd non propter se, sed propter commodum publicum expetatur. Tale factum fuit Curtij Equitis Romani, qui in hiatum terræ prosiluit, ut salutem Civibus afferret.

Factum à Necessario laudatur, si dicatur, quòd ita sit necessarium, ut nisi fiat grande aliquod detrimentum sit subitura Respublica. Tale factum fuit Camilli, qui obsessam urbem Romanam à Gallis, imò iã multa ex parte captam, periculo sui capitis liberavit.

Factum à difficili laudatur, si dicatur, quòd cum magno labore, cura, solicitudine, sumptu, imò cum vitæ periculo nonnisi fieri potuerit. Hinc laudatur factum Horatij Coclitis, qui universum Hetruscorum exercitum in ponte sublicio sustinuit.

Loci Amplificationis in hoc genere numerantur 7. Persona, Res, Locus, Auxilia, Causa, Modus & Tempus.

A Persona amplificatur Factum 4pliciter. imò. si dicatur, quòd ab uno & solo factum aliquid gloriosè, & cum omnium admiratione sit peractum.

2dò. quòd à primo omnium id factum sit ostensum.

3tiò.

3tio. quod pauci admodum illus facti fuerint adjutores & Socij.

4to. quòd ab eo id factum, qui inter multos ejusdem gloriæ socios, primô locô numeratur; quodq; sæpiùs quidpiam præclari gesserit.

A Re amplificatur factum, si ostendatur diligenter ipsa facti Natura, v.g. quàm sit magnum, quàm illustre, quàm proficiuum & utilie.

A Loco si diligenter loci opportunitas exprimatur, fueritne sc: locus ille sacer, an profanus? privatus, an publicus? celebris, an solitarius? &c.

Ab auxilio, si exprimatur id omne, quò aliquis usus est in negotio quopiam peragendo. ut sunt, socij, arma, instrumenta, præcipuè verò animus fortis & promptus.

A Causa, si exponatur quem sibi finem aliquis in peragendo facto proposuit, quid inde speraverit, amorene, an odio? clementiâ, an vindictâ vel cupiditate quidpiam sit agressus?

A Modo, si exponatur rei gestæ series, quòd sc: aut palam, spontè aut coactè, fortiter aut prudenter deliberatè aut casu sit gestum.

A Tempore si exponatur temporis oppor-

tunitas,

tunitas, diene an nocte, manè an vespere? æstate an hyeme res gesta sit?

CAPUT XI.

De Locis Laudandarum Rerum.

Loci laudandarum rerum sunt illi: ex quibus argumenta sumuntur, ad rei alicujus laudem vel vituperium.

Nomine Rerum intelliguntur hîc *1mo.* Omnes habitus animi, ut sunt Virtutes & Scientiæ. *2do.* omnia bona corporis & fortunæ, ut sunt forma, vires, valetudo, opes, nobilitas, honores &c. *3tio.* intelliguntur substantiæ & accidentia; idq; substantiæ animatæ vel inanimatæ. Animatæ sunt, quæ ad instar personarum tractari possunt. Inanimatæ sunt vel Cælestes, quales sunt Sol, Luna, Stellæ &c. vel Elemēta, ut ignis, aer, aqua, terra, vel Elementata, quæ rursus vel sunt opera naturæ, ut v.g. nubes, fluvivij aurum, &c. vel artis, ut navis, domus, annulus, urbes, horti, putei &c.
Per accidentia verò intelligitur omne id, quod adhæret substantiæ, ut est omnis color. *4to.* Tempora, ut hyems, ver, æstas, autumnus, annus, mensis &c. de quibus hic saltim nonnullis agendum venit.

Vir-

Virtutes & scientiæ, quæ fermè eundem inter se valorem habent, laudari possunt. *1mo.* ab honesto, origine, antiquitate, Inventoribus, Cultoribus, dignitate ac præstantia sua. *2do.* ab utili. *3tio.* à Jucundo. *4to.* à Necessario. *5to.* à Testimonijs, adferendo magnorum virorum judicia & Testimonia ut, vg. apud Claudianum justitiæ encomium, de Manlij & Theodosij Consulatu habetur tale:

Esse sed injustum fateor quodcunq; negatur
Iustitiæ, tu prima hominem sylvestribus antris
Elicis, & fædo detergis sæcula victu &c.

Bruta animalia laudantur *1mo.* à Natura sua exponendo proprietates illorum. *2do.* à Loco in quo nascuntur. *3tio.* ab utilitate, quam afferunt, *4to.* à laboribus, quos sustinent *5to.* à comparatione cum alijs animalibus. sic. v.g. Bos laudari potest, quòd non sit callidus & versutus, sed simplex animal, quòd sit laboriosus in agris excolendis ut expressit Ovid:

Quid meruêre boves, animal sinè fraude doloq;
Innocuum, simplex natum tolerare labores.

Exempla laudandorum brutorum apud varios authores inveniuntur, ut apud Lucianum muscæ & luti; apud Quintilianum apis, apud Virgilium culicis.

Regi-

Regiones laudantur præcipuè áb antiquitate, à primis Incolis, à Principibus, à cultu Regionis, à fama Reip: à ſtudijs liberalium artium, ab amænitatc, ab àéris clementia, ſalubritate, à varietate & copia rerum pretioſarum, quæ illinc exportantur, à fluminibus, lacubus, Urbium frequentia & celebritate, à ſylvis & montibus, ab agrorum fertilitate, à fructibus, ab animalibus, à tuto itinere, ab Incolarum humanitate, morum elegantia, à legibus, exercitationibus bellicis, à viris Illuſtribus & alijs. ſic Cic: pro lege Manilia Num: 14. *Aſia vero tam optima eſt & fertilis, ut ubertate, agrorum & varietate fructuum & magnitudine paſtionis & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.*

Flumina laudantur præcipuè ab ortu, à ſcaturigine, à velocitate, à placido fluxu, à fluendi longitudine & piſcium copia, à varietate, à locis quos abluunt, à navium frequentia, ab alijs fluvijs in quos influunt, aut quos in ſe recipiunt, ab importatione variarum mercium, à rerum ad videndum neceſſariarum advectione. A placido fluxu laudat Claudianus Nilum, Danubium & Gangem de Manlij & Theodoſij conſulatu.

Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat

Vtilior:

Vtilior: nullas confessus murmure voces
Acrior & rapidus tacitè prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia sani
Gurgitis immensum deducit in ostia Gangem &c.

Montes commendantur præcipuè à magnitudine, miraculis, prodigijs, nemoribus, fontibus, qui ex ijs erumpunt, à fructuum ubertate, qui reperiuntur in illis. Item à situ & ab alijs, quæ producunt, sive metalla sint, quæ ibi effodiuntur, sive plantæ, quæ ibi nascuntur, sive feræ, quæ ibi degunt. Ab arcibus, quæ in illis constructæ sunt sic Lucanus lib: 6to. describit ac laudat Montem Parnassum.

Hesperio tantùm, quantum semotus Eoo
Cardine Parnassus gemino petit æthera colle;
Mons Phæbo, Bromioq; sacer &c.

Sylvæ encomium habere possunt; à latitudine, amænitate, arborum copia, & varietate, à proceritate, à pulchritudine, à fluminibus, fontibus, copia & diversitate ferarum.

Fontes laudantur à puritate, salubritate & frigiditate, à dulcedine, ab occulta virtute, quam habent ad sanandos morbos, ab egregia sive naturæ, sive artis structura. Quod expressit Ovid: 3tio Metamorphos

Fons erat illimis nitidis argenteus undis;

Quem neq; Pastores, nec pastæ in monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus; quem nulla volucris,
Nec fera turbârat, nec fractus ab arbore ramus.
Gramen erat circa, quod protinus humor alebat
Sylvaq; sole locum passura tepescere nullo.

Vrbes præcipuè laudantur: ab antiquitate, origine, Conditoribus, situ, munitionibus, Cæli temperie, ab amænitate, ab aquis præterfluentibus, à portubus, á commercijs, ab elegantia ædificiorum & frequentia habitantium, à latitudine & munditie, ab Incolarum celebritate, à Principibus & Ducibus, à legibus, à religione, Sanctorum Corporibus & Reliquijs ibi quiescentibus, à Viris doctis & prudentibus alijsq; similibus. Vrbis Romanæ encomium habetur apud Claud: 3tio de laudibus Stiliconis.

Proximè Dijs Consul, tantæ qui prospicis Vrbi,
Quâ nihil in terris complectitur altiùs æther,
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris,
Armorum legumq; parens: &c.

Domus laudantur à materia, præstantia, amplitudine, structura, mansione, situ, prospectu, à portis, fontibus, picturis, à penetralibus, cubiculis, à locorum commoditate, alijsq; adjunctis. Ut est illa laus

Solis

Solis Regiæ 2do Metamorph: à materia & figura apud Ovid:

Regia Solis erat, sublimibûs alta columnîs &c.

Horti laudantur: ab arborum plantarumq; varietate ac frequentia, ab herbarum copia, florum diversitate, ubertate fructuũ, ab aquis interfluentibs, ab artificiosis dispositionibus alijsq; similibus.

Tempora laudantur præcipuè: ab àëris salubritate, à frugum & rerum ad victum necessariarum copia, à pace & tranquillitate, ab amænitate & comparatione temporis cum tempore. Quælibet autem anni pars habet suam commendationem, à rebus feliciter gestis, humano generi proficuis v.g. *Ver* quòd agricolis laborandi tempus aperiat, & omnia amænitate sua exhilaret. *Æstas*, quòd humanos oculos frugum copiâ delectet, atq; abundanti messe cumulet. *Autumnus*, quòd fructuũ dulcedine reficiat &c. *Hyems*, quod efficiat commodum tempus, ad utendum his, quæ totô annô congregata sunt. *Menses* similiter laudari possunt, ab institutis aliquibus antiquorum v.g. *Julius* & *Augustus*, quòd ab Imperatoribus Romanis nomina imposita habent, *Dies* quoq; laudari possunt ab adjunctis suis v.g. (*dies Dominicus*) quòd illo resurrexit à mor-

tuis Christus Dominus; Spiritum Sanctū miserit. &c.

CAPUT XII.

De Speciebus Orationum Generis Demonstrativi.

Species Orationum Generis huius, quarum usus frequentior est, *numerantur* 12. Genethliaca, Epithalamica, Muneratoria, Collaudatoria, Gratulatoria, Inauguratoria, Panegyrica, Gratiarum actoria, Postulatoria, Valedictoria, Salutatoria & Funebris.

Quid est Oratio Genethliaca seu Natalitia? Est quæ die natali alicujus Infantis haberi solet. Dicitur Genethliaca (*à genio*) qui nascentibus hominibus suus cuiq; datur.

Exordium in hac oratione duci solet, vel ab antiquorum consvetudine, vel à nostris amicorum votis, vel ab acclamatione futurorumq; bonorum omine, vel ab aliqua circumstantia loci, temporis, aut Personarum vel à Fabula.

Confirmatio potest habere duas partes, in quarum *1ma.* Majores Infantis à rebus gestis, virtutum magnitudine, famæq; celebritate commendantur, qui quantò fuerint illu-

illustriores, tantò & infans illustrior censebitur fore. In 2da. Nativitas, ejusq; circumstantiæ, locus, tempus, antecedentia dicta, oracula, somnia Parentum, concursus variarum rerum sub id tempus evenientium; consequentia, præsertim si quæ Infans futuræ virtutis, in ipso vitæ ingressu dederit argumenta, explicabuntur. Poterit hic quoq; locus tractari communis de rerum generatione, quæ dicitur quædam immortalitas.

Epilogus gratulationem Parentibus totiq; Familiæ, tum quoq; vota & faustas apprecationes continebit.

Quid est Oratio Epithalamica seu Nuptialis? Est qua Neosponsis novam vitæ conjunctionē non sinè felicis rerum omnium successûs apprecatione gratulamur. In Oratione ista considerari debent 4. Commendatio Matrimonij: Laus sponsorum. Pompæ Nuptialis descriptio. & Gratulationes officiosæ.

Commendatio Matrimonij instituenda ab Honesto, Utili, Necessario & Jucundo.

Laus Sponsorum commendatur ex locis Generis Demonstrativi; in laude tamen sponsi potissimum spectari debent illæ virtutes, quæ juvenilem condecorant ætatē. In commendatione sponsæ spectabitur ve-

recundia, pietas, solertia ingenij, diligens educatio, formæ venustas &c. Nam.

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Vtriusq; Personæ laudes tractari poterunt per comparationem & similitudinem quãdam, commemorando Familiam Generisq; splendorem.

Pompæ Nuptialis descriptio petenda est à circumstantijs loci, temporis & reliquo tàm hospitum quàm domesticorum apparatu.

Gratulationes officiosæ variè institui possunt: Poterit enim affingi gratulatio vel Reipublicæ vel Familijs, Parentibus & amicis, vel ipsis sponsis. Parentũ nomine adjungitur plerumq; commẽdatio spõsi vel sponsæ, ut eum cultu & amore prosequatur, & sponsæ sponso, ut eam tanquam ornamentum domûs, thesaurũ Familiæ &c. æstimet.

Exordium in hac oratione tractari potest, vel commemorando aliquid de Jove & Junone tanquam apud antiquos primis conjugij authoribus. Christiano verò more de primis humani generis Parentibus, aut etiam de communi inter omnia tam ætherea quàm terrestria societate. Vel adducendo aliquam consvetudinem veterum, historias, aut etiam fabulas de aliquo magni nominis conjugio: vel tractari potest

test Exordium à persona Oratoris, si dicat suæ eloquentiæ vires, tantæ rei impares esse. Vel etiam ab enumeratione causarum ob quas hoc munus susceperit Orator.

Confirmatio perpetuis constabit laudibus & virtutum rerumq; gestarum narratione; quæ sumetur ex antecedentibus meritis Majorum, Parentum, Consangvineorum, ubi stemmata præcipuum habebunt locum. Item sumenda erunt argumenta à matrimonij commendatione, à sponsorum laude, à nuptialis pompæ descriptione.

Conclusio vota fausta & apprecationes continebit.

Quid est Oratio Muneratoria? Est, qua utitur Orator in reddendis, sive suo, sive aliorũ nomine (quod usitatiùs est) muneribus.

Exordium hîc præcipuè tractatur ab explicatione affectûs illius, à quo munus offertur, erga illum cui offertur: diceturq; hanc antiquitùs fuisse consvetudinem, ut internam animi propensionem, externîs, signîs sibi adinvicem amici testarentur.

Confirmatio commendabit munus, quod offertur, à materia, à forma, à virtute, à pretio, antiquitate, fine &c. v.g. annulus commendaretur à forma rotunda, qva æ-

ternitas designatur; ab auro, quo probatæ amicitiæ symbolum exprimitur. &c. Argentum commendaretur à puritate; gemmæ, lapides pretiosi, commendarentur ab effectis, à virtutibus & proprietatibus occultis. quæ commendatio per comparationem in laudem ejus, cui munus offertur v g. sponsæ, vel maximè fieri debet.

Conclusio petitionem continebit, ut munus candoris & amoris tessera gratô animô suscipiatur, illudq; non ex pretio, sed ex dantis affectu æstimetur.

Quid est Oratio Collaudatoria? Est qua Persona aliqua post strenuam alicujus facti functionem laudatur, ut vel ad majora contendat vel si facinus summè gloriosum est, ut in posterum talis existat.

Exordium hujus orationis conficitur, vel per comparationem, si orator conferat præsens factum quod laudat, sive cum aliorũ, sive cum ejus ipsius qui laudatur, alijs factis; vel sinè comparatione, si factum sive author facti commendetur.

Propositio aptissimè instituitur per aliquam gratulationis aut laudationis formam. v g. si dicat Orator, se nullo modo silentio præterire posse factum hoc, quod per se est gloriosum & ad posteritaté commendabile,

Confir-

Confirmatio tribus poteſt expediri capitibus. *1mo,* extollet orator ipſum factum oratione florida & copioſa, deſcribens illud ex omnibus circumſtantijs, quomodo fuerit productum. *2dò.* commemorabit facti neceſſitatem, utilitatem, tàm publicam quàm privatam, jucunditatemq́; recordationis ipſius facti. *3tiò.* inſtituet adhortationem ad eum, cujus factum celebrat, ut ad majora contendat, vel ſi factum ſummè glorioſum ſit, ſui ſimilis in tantis facinoribus exiſtat.

Confutatio, tunc temporis hîc adhiberi ſolet, quando ſe aliqua offerunt, quæ debeant refelli.

Conclusio duo habebit. *1mò.* excitabit Orator in animis auditorum delectationem, ex tam memorabili facto. *2do.* ad ſimilia auditorem animabit, vel eum ipſum, quē collaudat.

Quid eſt Oratio Gratulatoria? Eſt qua lætitiam teſtamur alicui ob acceſſionem cujusquam boni, aut devitationem alicujus mali, cum voto; ut illa felicitate quàm diutiſſimè perfruatur.

Exordium hîc ſumi poteſt, vel à lætitia communi, vel à laude ejus, cui honorem, aut quid ſimile gratulamur, vel ab enu-

meratione causarum, quibus impellimur ad gratulandum.

Narratio hîc tum temporis habet locum, quando aliqua inter ipsum factum vel collationem honoris notanda & commemoranda sunt. v.g. si gratuletur Orator victoriam, narrandum esset, quàm generosa mente, & qua arte hostium impetus eluserit.

Propositio brevibus expedienda, in qua dicet Orator se officiô compulsum, velle potiùs Reipublicæ gratulari, de dignitate tanto viro collata, quàm illi ipsi, cui oblata est.

Confirmatio tractari potest *imo.* à laudatione ipsius personæ ex locis Generis Demonstrativi. *2do.* à rei ipsius magnitudine, ubi ejus utilitas, honestas, necessitas & jucunditas deducendæ. *3tio.* à circumstantijs, examinando quomodo, quo loco, quo fine &c. talis honor sit alicui oblatus.

Confutatio habebit retorsionem illorum omnium, quæcunq; à malevolis obijci possent, præsertim rumor aliquis personæ di-dignitatem convellens.

Conclusio expedietur adhortando illum, cui gratulamur, ad justam lætitiam, ob tantum honorem sibi delatum, dein ho-

noris

noris diuturnitatem apprecando, eidem majora optabimus.

Quid est Oratio Inauguratoria? Est sermo, qui haberi solet, dum aliquis in Magistratum, vel in quodvis honoris altum evehitur.

Exordium in hac oratione sumitur vel à loco, ubi inauguratio fit, vel à ceremonijs & acclamationibus publicis, vel à Principis aut urbis benevolentia, quæ illum cui applaudimus, quasi manuducit ad honorum gradus.

Propositio fieri potest per extenuationem, quòd alij theatra curabunt, alij Regias vestes & fulgentem purpuram dabunt &c. ego Principis virtutes proponam.

Confirmatio perpetuas habebit laudes Personæ, ex locis Generis Demonstrativi & Communibus. v.g. ab adjunctis illius honoris, quem capessit, tam merita Personæ, resq; heroicè gestas, quàm insignia honoris; ut Regium sceptrum, pomum &c. Doctoralem librum, annulum, pileolum &c. non invenustè describendo.

Conclusio vota & faustas apprecationes continebit.

Quid est Oratio Panegyrica? Est sermo qui coram aliquo nobili conventu (qualis est

v.g. ſenatus) in Principis aut alicujus illuſtris viri laudem habetur, ſive id fiat, ut ei agantur gratiæ, ſive ut publico nomine aliquid poſtuletur, ſive alia de cauſa.

Adverte ab Oratione Collaudatoria non differre Panegyricam, proinde ſimiliter tractari poteſt.

Quid eſt Oratio Gratiarum actoria ſeu Euchariſtica? Eſt beneficij ab aliquo accepti honorifica apud eundem deprædicatio, cum gratæ mentis teſtificatione.

Exordium hîc ſumitur vel ab aliquo celebri dicto, vel ab aliqua conſvetudine & exemplo memorabili, vel à beneficij collati magnitudine, vel à perſona largientis, ejus munificentiam explicando.

Propoſitio conſtituitur per gratæ mentis conteſtationem.

Confirmatio efformatur per exagerationē beneficij accepti; ubi ejus amplitudo dilatari poterit, percurrendo omnes circumſtantias: quis dederit, cui, quo tempore, quo loco, quo conſiliò, fine & animo dederit. inſtitui quoq; poteſt comparatio; ſi verbi gratiâ dicamus nos multa jam beneficia ab eo accepiſſe, ſed hoc longè eſſe maximum.

Concluſio Apprecationes atq; ipſam grati animi

animi contestationem continebit, utq; cuncta fausta & prospera Benefactori eveniant, optabimus.

Quid est Oratio Postulatoria? Est qua aliquid ab aliqvo petimus sive ad nostrum, sive ad alicujus pertinens commodum.

In hac Oratione 4. consideranda sunt *1mo.* ut possit præstari, quod petitur. *2do.* ut sit res justa, quæ petitur. *3tiò.* ut habeat modum petitio. *4tò.* ut subsequatur remuneratio.

Hæc Oratio Postulatoria est 2plex: *Recta,* quâ apertè aliquid petitur. & *Obliqua,* quæ per insinuationem quandam instituitur, idq; ad conciliandam benevolentiã.

Exordium sumitur hîc à laude illius, à quo beneficium expectatur, cujus liberalitas deprædicari debet, vel à Persona petentis, si dicat se non posse non suffundi pudore, petendo ab eo, de quo minimè meritus est.

Confirmatio instituetur per expositionem petitionis, at diligenter videre debebit Orator, cujus laudis & gloriæ ille cupidus est, à quo præsens beneficium petit, recurretq; ad Locos Generis Deliberativi. ostendens à *Possibili* illud beneficium absq; ullo dantis dispendio posse conferri. Ab

Utili

Utili probans fore & danti & accipienti fructuosum. *Ab Honesto* demonstrans qvantam gloriam ex dato beneficio sit consecuturus. Poterit quoq; indigentiam suam explicare, ubi conciliandi erunt motus misericordiæ, ut tantò faciliùs, quod vult, obtineat.

Conclusio instituetur per grati animi pollicitationem.

Quid est Oratio Valedictoria? Est qua peregrè proficiscentes Parentibus, Amicis, Professoribus, vel Patronis valedicimus.

Exordium desiderium indicabit quàm diutissimè vivendi cum illo, cui valedicimus. Conqueretur Orator de necessitate illius negotij quod est causa discessûs & avulsionis ab amico.

Confirmatio causam & occasionem exponet: deindè quandoquidem Superis ita visum est, ut se ab amico divellat, dicet se gratias habere pro beneficijs acceptis & benevolentia sæpius declarata. sub finem verò Confirmationis veniam erratorum, si quæ per humanam fragilitatem evenerunt, petet.

Conclusio optabit, ut aliquando in vivis mutuô se conspiciat. Vel orabit ut iter suum

ſuum, DEO & Cælitibus commendetur. Vel deniq; memoriam ejus perpetuam ubicunq; fuerit, pollicebitur, & ſe animo præſenté fore promittet, cùm anima ibi magìs eſſe credatur, ubi amat, quàm ubi animat.

Reſpondens Valedicenti *1mò.* dolorem ex diſceſſu tam cari amici teſtabitur, ejus adferendo cauſas, quæ petuntur ex adjunctis diſcedentis. *2dò.* beneficia à valedicente laudata extenuabit. *3tiò.* errata elevabit vel etiam mutuam veniam petet. *4tò.* poſtulatis valedicentis annuet, mutuumq; pollicebitur amorem.

Quid eſt Oratio Salutatoria? Eſt qua lætitiam noſtram advenienti ad nos alicui conteſtamur.

Exordium non invenuſtè hîc ducitur vel ab aliquo exemplo aut ſententia celebri, vel ab Apophthegmate, vel à Symbolo, vel à ſimilitudine, vel ab aliquo alio, dummodò lætitiæ ſigna explicentur.

Confirmatio cotinebit *1mò.* cauſas lætitiæ; quæ ſumendæ erunt ab adjunctis Perſonæ advenientis. *2dò.* laudes advenientis, cujus virtutes & rectèfacta erunt deſcribenda: tum quoq; beneficia aliqua ab eo nobis præſtita commemorabuntur, quæ efficiunt, ut nobis gratiſſimus ſit ejus adventus.

Conclu-

Conclusio vota habebit pro incolumitate faustisq; successibus ejus, quem salutamus.

Quid est Oratio Funebris? Est quæ institui solet in publicis alicujus defuncti exequijs. Genus talis Orationis duplex est.

Ecclesiasticum, quô utitur sacer Orator, cùm in exequijs alicujus defuncti verba facit.

Et Profanum, quo sive Latino sive Patrio idiomate, aut laudatur defunctus, aut gratiæ aguntur hospitibus pro humanitate & supremo officio.

Exordium sumi hîc potest vel à contestatione luctûs & mæroris, quo perculsi sunt omnes ex obitu tanti viri, vel áb adjunctis demortui, quantus & qualis fuerit. vel ab aliqua sententia, dicto & Apophthegmate. quale est illud Francisci Patricij: *Luctu carere debet interitus eorum, quorum vita clarissima fuit & mors splendida.* vel ab aliquo veterum ritu, qualis ille erat Thracum, *qui nascente infante plorabant, moriente verò lætabantur.* vel à lugubri pompæ funebralis apparatu vel ab invectione in mortem. vel à deploratione indignationi mixta, conditionis humanæ, quæ homines ex ipsis triumphis ad miseriam deijcit.

Confirmatio ad tria potest revocari capita. *1mò.* efferendæ sunt laudes totius vitæ de-

mortui

mortui, quæ] vel tractentur methodo *naturali*, si per continuam annorum seriem procedat Orator; vel *artificiali* si facta & virtutes demortui in certa capita pro arbitrio distribuantur, & ad totam vitam revocentur. Proderit quoq; hîc inspicere stemmata demortui, ex quorum occasione varia desumi potest eruditio. *2dò.* Solabitur Orator amicos & consangvineos defuncti, quod faciet vel à fide & spe Christiana, meliorem vitam nos obtenturos adhortante Seneca. *Dies iste, quem tanquam extremum formidas, æterni natalis est, gemis & ploras, hoc ipsum nascentis est.* Vel à DEI voluntate, vel à naturæ cursu & inevitabili necessitate, omnes æqua lege ad tumulum cogente juxta Lyricum Pòëtam.

Æquale letum vicimus impares,
Pares obimus nunc alios supra,
Altæ curules, nunc triumphi
Extulerunt, cinis æquat omnes.

Vel ab utili, quòd mortuus, luctûs & miseriarum, per mortem invenerit requiem. *3tio Capite Confirmationis*, instituet Orator gratiarum actionem hospitibus, quòd eum, quo in vivum ferebantur, amorem etiam mortuo sunt testati. Potest hîc per Prosopopæiam ipse mortuus induci, loquens ad amicos & valedicens

Conclusio vel hortabitur Auditores ad mortis memoriam, vel vota instituet ad mortuum, quibus illi felicitatem precabitur æternam, vel incitabit superstites ad defuncti imitationem virtutum.

Adverte. Istæ species Orationum, in omni causarum Genere, pro arbitrio Oratoris, ad rei exigentiam, possunt habere plures, vel pauciores Partes; imò, si quasi extemporaneæ fiant, per quamcunq; argumentationis formam, aut etiam per Prothasim, & Apodosim absolvi possunt. In quo clariùs scholasticæ quemlibet erudiunt Praxes.

CAPUT XIII.

De Natura Generis Deliberativi Locisq; illius.

GEnus *Deliberativum*, quod, ab alijs *Svasorium*, ab alijs *Consultorium* dicitur, est, in quo svademus vel dissvademus.

Materia Generis hujus, sunt res omnes contingentes, quæcunq; dependent à libero nostro arbitrio & voluntate. Suntq; publicæ vel privatæ *Publicæ* v. g. sunt vectigalia, bellum, pax, custodia Regionũ, leges, atq;

atq; illa; quæ importantur vel exportantur.

Privatæ sunt tot, quot negotia, in vita & in re familiari occurrunt.

Quæ removentur à Deliberatione? Ista 4. *imò.* omnes res futuræ, quæ licèt fuerint contingentes, quia tamen non dependent à nostra voluntate, sed à fortuna, ideo non possunt cadere in deliberationem. v.g. nemo deliberat ex schola eundo, an inveniat 10. aureos. *2dò.* res naturales, quæ juxta ordinarium naturæ cursum, fieri solent v.g. nemo deliberat, an sol sit oriturus. *3tiò.* res necessariæ, quæ aliter se habere non possunt. v.g. nemo deliberat an sit aliquis moriturus. *4tò.* res impossibiles, quæ fieri non possunt v.g. nemo deliberat, quomodo volare possit.

Officium Generis Deliberativi Generale est, svadere honesta & utilia; dissvadere inhonesta & inutilia. *Speciale* est, in animis Auditorum, spem vel metum excitare, permovere utilitate aut detrimento rei.

Partes Generis Deliberativi sunt duæ. Svasio & Dissvasio: *Svasio* est, in qva svademus alicui, rem aliquam suscipiendam, vel susceptam perficiendam, propter honestum vel utile, jucundum vel necessarium. *Dissvasio* est, qua alicui rem aliquam dissvademus

propter turpitudinem, vel molestiam, damnum vel impossibilitatem.

Finis Generis Deliberativi est Vtilitas honestati conjuncta, quam Orator svadendo bona & utilia, promovet & ampliat; dissvadendo mala & inutilia, conservat ac defendit.

Quotuplices sunt Loci Generis Deliberativi? 2plices: Svasionis & Dissvasionis. *Loci Svasionis sunt illi*, ex quibus argumenta petuntur, ad aliquam rem suscipiendam, vel susceptam perficiendam. *Suntq́;* 6. Honestum, Vtile, Necessarium, Jucundum, Facile, & Possibile.

Honestum est, quod sua vi laudabile est & propter se expetendum, quod præcipuè ex natura & legibus, tum quoq; ex virtutum descriptionibus, quæ petendæ sunt ex locis communibus, de quibus suprà, consurgit. *Ad honestum* quoq; dignitas, gloria, fama, spes, bonorum expectatio, æmulatio inimicorum, miseratio, & alia his similia, quæ plurimum in deliberando valent, referuntur. *Ab honesto* svadebit aliquid Orator, ostendendo rem illam, quam svadet, esse virtuti conjunctam v.g. Svasurus libertatem in pauperes, ostenderet, quòd comprehendat sub se justum, decorum, pium &c.

Vtile est, quod tàm ratione sui, quàm ratione commodi, quod speratur, ex illo expetitur v. g. *Vtile est Reipublicæ multam habere pecuniam, à qua & pacis ornamenta, & belli subsidia petuntur.* *Ab Vtili* svadebit Orator, si ostendat illa re, quam svadet, bona præsentia retineri, vel futura comparari, vel mala præsentia propulsari, vel imminentia, ut minùs feriant, impediri. Ita Cicero svadens *bellum Mitridaticum*, dicit *fore utile, utpotè per quod & vectigalia retinebuntur, & Civium bona rapinis vindicabuntur.*

Necessarium est id, sinè quo res aliqua acquiri vel conservari nequit. v. g. *Tyroni Rhetorices, exercitatio quotidiana Præceptorum Rhetoricæ & Styli necessaria est, quia sine his Rhetor nullô modô potest esse.* Estq; necessariũ 2plex: Simplex & Conjunctũ, seu secundùm quid. *Necessarium Simplex* est, cùm aliquid absolutè fieri necesse est v.g. *Hominem mori.* Et tale non cadit in deliberationem. *Necessarium Conjunctum seu cum adjunctione sive conditione* est, quando necesse est, aliquid fieri alicujus causâ v.g. *necessarius est equus ad conficiendum iter ratione commoditatis.*

A Necessario svadebit Orator, si dicat illa re, quam svadet consuli honestati, incolumitati, commoditati, vel doceat illa re,

multò graviora mala posse declinari. v.g. si dicat: *necesse est Vrbem hosti tradere, nisi cives fame perire malint.*

Iucundum est, quod honestam animo, & corpori adfert voluntatem. v.g. jucundum est tempore debito, & eo convenienti uti respirio à laboribus. *Ab hoc*, svadebit Orator, si probet illam rem, quam svadet magnam delectationem, auditori allaturam. v.g. Svasurus Orator pacem, diceret: *nihil esse jucundiùs, quàm ab armis discessisse, quàm cædi & sangvini civium pepercisse, quàm amplissimas civitates, florentissima Imperia, potentissimas Provincias, à vastitate & incendijs eripuisse.*

Facile est id, quod vel nullo vel parvo labore conficitur; v.g. *facilè est inermem, qui se non defendit, vincere.*

Ab hoc svadebit Orator, si ostendat rem illam, quam svadet vel nullo, vel certè non magno labore, sumptu, molestia, & quã brevissimo tempore confici posse, quod probabit ex circumstantijs Loci, Temporis &c. de quibus suprà.

A Facili Cicero præcipuè ex circumstantijs auxiliorum svadet bellum adversùs Antonium Philippica 3tiá à Num: 25. ad 34. *Dij immortales nobis hæc præsidia dederunt, Vrbi Cæsarem, Brutum Galliæ. Hanc igitur occa-*

sionem

ſionem oblatam tenete, per Deos immortales & ampliſſimi Orbis terræ Principes conſilij, vos eſſe aliquando recordamini &c.

Poſſibile eſt, quod ex natura ſua & fieri & eſſe poteſt. v.g. *Poſſibile eſt aliquem conquirere ſapientiam, ſi laborem & diligentiam adhibeat.*

A Poſſibili ſvadebit Orator, ſi oſtendat id, quod ſvadet fieri poſſe vel parvo vel magno quidem labore, ſed majori cum fructu & gloria. Ut facit Cicero pro Sextio Num: 102. *Eſt labor non nego, pericula magna fateor, multæ inſidiæ ſunt bonis, veriſſimè dictum eſt, ſed te id, quod multi invideant, multiq; expetant, inſcitia ſit, inquit, poſtulare, ſi tu laborem ſumma cum curâ offeras nullum.*

Præter hos locos enumeratos, ad hoc Genus referuntur Loci aſſumpti & Inſiti. Nam ad ſvadendum, vel diſſvadendum, non parum juvant leges, præjudicia, juſjuranda, pacta, aliaq; ejuſmodi, qvibus ad rem ſuſcipiendam vel non ſuſcipiendam videntur obligari auditores.

Qvid ſunt Loci Diſſvaſionis? ſunt illi, ex quibus argumenta petuntur ad deterrendum animum auditoris ab aliqua re ſuſcipienda, vel ſuſcepta perficienda. *Suntq; Loci Diſſvaſionis 6. prioribus oppoſiti:* Turpe, Perniciosum, Non neceſſarium, Injucundum, Difficile & Impoſſibile.

Turpe est, quod ex natura sua detestabile & per se fugiendum est. v.g. *Turpe est militem ex acie Martis fugere.*

Perniciosum seu Inutile est, quod propter aliquod damnum vel incommodum vitari debet. v.g. *Perniciosum est cum hoste intra limites proprios præliare.*

Non necessarium est id, sinè quo commodè res haberi potest: v g. *sinè immensa exercituum collectione civitas rebellis, ad pristinum obsequium reduci potest.*

Injucundum seu Molestum est, quod aliquam causare solet acerbitatem & fastidium. v.g. *molestum est bellum, quia minimè bellum.*

Difficile est, quod magno labore, sumptu, molestia & tempore longo vix peragibile censetur. v.g. *Difficile est hyberno tempore contra hostem instruere acies.*

Impossibile est, quod naturâ suâ fieri non potest. v.g. *Impossibile est unum adversùs infinitam hostium multitudinem, pugnare & victoriâ potiri.*

Ab his locis dissvadebit Orator, si rem aliquam ostendat esse detestabilem, & cum aliquo dedecore conjunctam, esse perniciosam & multa incommoda adferentem, esse non necessariam, injucundam, difficilem, & impossibilem. A Turpi Perni-

ciosc

cioſo & impoſſibili diſſvadet Cicero pacé cum M. Antonio Philippicâ 7mâ numero 8. *Ego ille dicam ſæpiùs, pacis ſemper laudator, ſemper auctor, pacem cum M. Antonio eſſe nolo. Cur igitur pacem nolo, quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. Quæ tria dum explico, peto à vobis P. C. ut eadem benignitate, qua ſoletis, verba mea audiatis.* A non neceſſario verò idem Cicero contra Catilinam probat non eſſe conquirenda præſidia. Catilinariâ 4tâ. num 14. *Omnia jam proviſa, parata & conſtituta ſunt P. C. cum mea ſumma cura atq; diligentia, tum multò etiam majore populi R. ad ſummum Imperium retinendum, & ad communes fortunas conſervandas, voluntate: omnes adſunt omnium ordinum homines omnium deniq; ætatum: plenum eſt forum, pleni omnes aditus hujus loci, ac templi.*

CAPUT XIV.

De Speciebus Orationum Generis Deliberativi.

SPecies Orationum Generis Deliberativi uſitatores numerantur 5. Svaſoria, Diſſvaſoria, Commendatoria, Conſolatoria, & Monitoria.

Quid eſt Oratio Svaſoria? Eſt qua aliquid ſvademus alicui, ſive illud bonum com-

mune, sive privatum concernat.

Exordium in hac Oratione duci solet *vel* ab adjunctis rei, quæ svadetur, ostendendo illam utiliorem & honestiorem esse hominũ opinione. *Vel* ab Adjunctis Personarũ, quæ consultationi præsunt, aut sententiam nostræ contrariam dicunt. *Vel deniq;* ab aliqua graviori sententia, dummodo rei propositæ accommodetur.

Narratio hîc si quæ sit, semina quædam argumentorum continere debet, sed satiùs omitti potest Confirmationi permiscenda.

Propositio breviter & clarè sententiam, quæ svadetur, declarare debet.

Confirmatio argumentis & rationibus constabit, quæ peti duciq; debent ex locis Generis Deliberativi, nempe ab Honesto, Utili, Necessario, Jucundo, Facili, Possibili, Justo, & legitimo, item ex alijs locis communibus, ut à Causis, Effectis Antecedentibus, Consequentibus, Comparatis, Exemplis & alijs.

Confutatio rationes illas habebit, quibus Orator refellet ea, quæ sibi videt adversari.

Conclusio brevem superiorum recapitulationem & acrem ad auditores adhortationem, ut suo parere velint consilio, habebit,

bit, quod tantò faciliùs fiet, si in animis auditorum spes & fiducia excitetur. Svasorias Orationes habet Cicero pro lege Manilia, Philippicâ 8. & 9. Ubi svadet statuam Sulpicio ponendam esse, qui in legatione ad Antonium obierat.

Quid est Oratio Dissvasoria? Est qua dissvademus quidpiam alicui, tanquam turpe, inutile, & pernitiosum.

Exordium sumi solet in hac Oratione *vel* ab ipsa re, ostendendo non esse talem, qualis ab adversario demonstrata est. *Vel* à persona svadentis, aut eorum, qui audiunt, & penes quos est totius rei judicium, *vel* à persona adversarij, qui laudari potest à facundia, aut á multò rerum usu, quo imbutus prudenter de ea re disseruit, quæ in controversia est, nihilominus cùm oppositum magis probetur, contra eum audaciùs dicet amore veritatis & publici boni.

Propositio continere debet expositionem priori sententiæ contrariam, quam Orator multò meliorem ostendere se promittet.

Confirmatio argumenta habebit, quæ petentur ex locis Dissvasionis, à Turpi, Inutili, Nonnecessario, Molesto, Difficili, Impossibili & cæteris locis communibus.

Confutatio refutabit argumenta à svasore allata

allata, per aliquem locum Confutationi proprium.

Conclusio excitabit metum futuri mali in animis auditorum, quod certò imminere affirmabit, nisi abjectô adversarij consiliô, suæ sententiæ parere velint.

Adverte Orationem Exhortatoriam & Dehortatoriam, juxta præcepta Svasionis & Dissvásionis confici posse. Nam sicut exhortatio idem est cum svasione, ita dehortatio cum dissvasione; in eo nihilominus differunt, quod illa debeat metum ingerere auditori futurorum malorum; hæc verò fidem.

Dissvasorias Orationes habet Cicero pro lege Agraria & Philippicâ 6tâ.

Exhortatorias Philippicâ 14. num: 11. & Philippica 3. num: 15.

Dehortatorias Philippica 4. num: 3. Philippica 7. num: 13.

Quid, est Oratio Commendatoria? Est illius, qui alicui commendatur cum laude vel vituperio descriptio.

Exordium hic valdè liberum est. Sumi enim potest *vel* ab excusatione, ne importunus beneficiorum exactor dicatur. *vel* ab enumeratione Causarum, quibus impulsus est ad commendationem. *Vel* à Persona

com-

commendantis aut commendandi.

Propositio breviter ab Oratore instituetur de ijs, dequibus in confirmatione dicturus est.

Confirmatio petenda est ab adjunctis Personarum, rei *vel* temporis, ab adjunctis sc: Personæ ejus, qui commendatur, laudando eum *vel generatim* à bonis animi, corporis, & fortunæ, *vel speciatim* à virtutibus sc: illis, quæ ejus conditionem & ætatem concernunt. *A Persona Oratoris* si dicat quàm benè sit de illo meritus, qui commendatur. *A Persona ejus, cui* commendatur, ubi ejus benignitas, humanitas, liberalitas, & cæteræ virtutes sunt describendæ. *A re ipsa*, si ostendatur hoc officium, ad quod aliquis commendatur utriq; utile & salutare futurum.

Confutatio si forte aliqua sint, quæ commendationem in suspicioné vocare possint, refutare debet.

Conclusio duo côntinere potest. *imò*, in illa spem Orator excitabit de eo, cui comendat, quod suæ commendationi locũ concessurus sit. *deindè* significationem suæ voluntatis ad omnem occasioné verbis testabitur. Commendationis exemplum habet Cicero lib: 6. Famil: Epist: 9. &c.

Adverte aliquandò commendationem posse

posse institui obliquè dum se: simulamus, nos, eum commendare nolle, qui satis est commendatus, *vel* oramus, ut hominem nosse velint, ex cujus notitia sint aliquam utilitatem & delectationem consecuturi.

Quid est Oratio Consolatoria? Est qua dolorem animi alicujus ex quocunq; malo susceptum lenire studemus.

Exordium hîc sumi potest *vel* ab enumeratione causarum, quibus impulsi ad solandum aliquem accessimus v.g. affinitate, familiaritate, misericordia, dolore, sensu, amicorum adhortatione, *vel* ab aliquo loco communi; qualis v.g. ille est, quòd nemo sibi firmiter opitulari queat, nisi adsit, qui huic ægritudini mederi velit, *vel* à concessione, quòd fieri nequeat ut amicus tanto, & tam inopinato casu non commoveatur; verumtamen ut cum ratione doleat, monebit; *vel* deniq; à modesta sui opinione & alterius virtute, quòd non sit ille Orator, qui possit mæstitiæ cruciantis aculeum ex animo sapientis evellere.

Propositio commodè formatur per interrogationem. v.g. quid est, quod tantopere te commoveat tuus intestinus dolor?

Confirmatio sua argumenta habet 1mò à Divina Providentia & voluntate, cui vel

luctari

luctari nefas est. *Quidquid enim agimus, mortale genus, quidquid patimur, venit ab alto.* 2dò. ab honesto, quòd nimirum virtus hoc exigat, ut in adversis triumphet, calamitatibus vexata. 3tiò. à communi hominum conditione, qui ea lege nati sunt, ut omnibus, sævientis fortunæ telis sint expositi. *Nondum enim se nosse cœpit, qui nondum cœpit esse miser.* 4tò. à laude & gloria quod in adversis maximè splendescat virtus & in admirationem hominum animos rapiat, DEUM ipsum doloris testem ac laudatorem habeat. 5tò. ab utili, quòd sc: rebus adversis informetur homo, non modò ad modestiam depressa temeritate & superbia, sed etiam ad prudentiam & fortitudinem. 6tò à comparatione, ostendo plures esse, qui eadem mala aut certè graviora patiuntur. 7mò. ab Exemplis, adducendo quòd multi cum adversa fortuna generosè pugnârunt.

Confutatio diluere omnia illa debet, quæ consolationi obstáre videntur, qualis est præcipuè desperatio, ex qua illæ proveniunt voces, utinam ampliùs non vivam. &c.

Conclusio in qua vel monebit Orator mærentem, ut animum ab omnibs mæroribus obductum ad ea convertat, quibus & res adversæ levantur & prosperæ ornantur. *vel*

excitabit brevi venturæ lætitiæ dicendo cum Ænea apud Virgilium:

O passi graviora, dabit Deus his quoq; finem
- - - revocate animos mæstumq; timorem
Mittite, forsan & hæc meminisse juvabit.

Vel deniq; pollicebitur fidem, benevolentiam mærenti, operàmq; juvandi, aut si juvare non poterit, preces saltim suas apud DEUM se interpositurum dicet.

Quid est Oratio Monitoria? Est qua vitium quod castigari volumus, indicatur ac seriò inhibetur.

Exordium hîc sumi potest à laude illius, qui monetur adducendo præclaras animi dotes, propter quas vel ipsos hostes in sui amorem trahat. Ubi dicet Orator, quòd tam præclaras virtutes probro alicujus vitij obscurari non debet pati, quod tamen vitium referet vel in ætatem, vel in hominum convictum. Unde dicet facilè corrigi posse.

Confirmatio argumenta habebit ab honesto, utili, & glorioso, quibus vitij odium, & virtutis amor excitari debet. Poterit quoq; dicere Orator multos viros, simili laborâsse vitio, quod tamen facilè correctum est. Deindè exponet à turpi, quàm sit inconveniens, quàm inhonestum vitijs non virtutibus militare.

Con-

Conclusio debet continere ſeriam admonitionem & explicationem gaudij, quod tum habituri ſint Parentes, conſangvinei, amici, quando ille qui monetur deſeret vitium & ſequetur virtutem.

CAPUT XV.

De Natura Generis Judicialis, Statibusq́; illius.

GEnus *Iudiciale* eſt id, in quo accuſamus vel defendimus. *ſeu* eſt id, quod in controverſia poſitum, accuſationem & defenſionem complectitur. Undè ab alijs vocatur *Forenſe*, ab alijs *cauſarum contentio* ſeu controverſia.

Materia Generis hujus ſunt omnia facta præterita, quæcunq; in quæſtionem ſeu controverſiam Judicialem cadere poſſunt.

Et hæc *juxta Ciceronem num: 45. de Oratore 101. partitionum*, ad tres revocantur Status: Conjecturalem ſeu an ſit? Definitivũ ſeu quid ſit? & Qualitatis ſeu quale ſit?

Officium Generis Iudicialis Generale eſt accuſare vel defendere. *Speciale* eſt excitare Judicem ad clementiam vel ſeveritatem pro rei exigentia & æquitate. *Hîc enim au-*

ditor eſt *Judex*, qui æquitatem ſpectare debet, non verò delectationem, ut in Genere Demonſtrativo; vel utilitatem ut in Deliberativo.

Partes Generis Iudicialis ſunt duæ: Accuſatio & Defenſio. *Accuſatio* eſt rei apud Judicem oppugnatio, vel gravis & honeſta ad Judicem delatio; quæ non odio, ſed ſolo juſtitiæ amore ſuſcipi debet. *Defenſio* eſt innocentiæ rei apud judicem propugnatio.

Finis Generis hujus *eſt Juſtitia*, quam Orator ſeu Actor accuſando reum, & Defenſor ſeu Patronus, defendendo innocentem, à Judice expoſcit; deprecando autem pro reo, cum clementia commiſceri exoptat.

Quid eſt Status apud Rhetores? Eſt id, de quo controverſia inſtituitur, *ſeu* eſt principalis Quæſtio ex cauſarum conflictione proveniens; ad quam veluti ad ſcopum, omnia argumenta diriguntur. Ab alijs *Status* vocatur *Cauſæ conſtitutio*, *Cardo rei*, *generalis Propoſitio*. A Jureconſultis dicitur *Litis conteſtatio*, ſeu *conſenſus partium in litem*. Ex vi nominis deducitur, *à ſiſtendo* ſeu *à ſtando*, quia in illo tàm Accuſator, quàm Defenſor quodam modo conſiſtunt, tanquã milites in acie ad reſiſtendum.

Unde

Unde nascitur Status? Ex Intentione Accusatoris & depulsione Defensoris. *Intentio* est objectio facti ejus, quod venit in Judicium, pertinetq; ad eum qui accusat. v.g. *commisit sacrilegium. Depulsio* est retorsio objectionis dictæ ab accusatore, pertinetq, ad eum qui defendit. v.g. *non commisit sacrilegum sed simplex furtum.* Ex hac Intentione & Depulsione nascitur Status *seu* Quæstio. *An sacrilegium? an simplex commiserit furtum.*

Invento Statu quæri debent duo 1. *Ratio* quæ est id, quod criminis removendi causâ Defensor adfert. v.g *Non sacrilegium sed simplex furtum commisit, quia rem profanam sustulit.* 2. *Firmamentum* est id, quod ad infirmandam Defensoris rationem ab accusatore affertur. v.g. *rem profanam ex locis sacris aufere sacrilegum est, Ergo commisit Sacrilegum* Ex Ratione & Firmamento nascitur *Judicatio* quæ Græce *crinomenon* vocatur; estq; examinatio illius Quæstionis, quæ est *judicio* propria v g. *Sacrilegiumne commiserit an simplex furtum, qui rem profanam ex loco sacro sustulit.*

Sciendum Etiam in Demonstrativo Genere nascitur Status. nam sicut in Judiciali ex intentione accusatoris & depulsione Defensoris nascitur; ita, in Deliberativo ex intentione svasoris & depulsione dissvasoris.

in Demonstrativo ex intentione laudatoris & depulsione vituperatoris, qui potest esse tacitus & implicitus ex ipsis Auditorib'.

Status Juxta 3plicem Quæstionem an sit quid sit & quale sit Factum *tres numerantur*. Conjecturalis, Definitivus & Qualitatis.

Status CONJECTVRALIS est, qui solis tantùm ad probandum factum conjecturis constat, *seu* in quo quæritur an aliquid sit factum seu faciendum vel non? v.g. *An milo occiderit Clodium. Status hic dicitur Conjecturalis à* verbo *conjicio* idq; ratione *Accusatoris*; ratione verò *Defensoris* dicitur *Inficialis*; quia hîc reus sola inficiatione se defendit. v.g. accusator dicit: occidit Milo Clodium, Defensor verò dicit jure occidit.

Estq; Status Conjecturalis *2plex*: Simplex & Comparatus. *Simplex* est, in quo simpliciter & absolutè Quæstio instituitur. v.g. *an Vlysses occiderit Ajacem? Comparatus seu compositus* est, in quo per comparationem Quæstio instituitur v. g. *an Vlysses occiderit Ajacem, an verò sibi violentas injecerit manus?*

Loci Status Conjecturalis sunt 6. Probabile, Collatio, Signum, Argumentũ, Consecutio & Approbatio. *Probabile* est, quô ostenditur utile fuissé facinus commissum reo, illud,

illud, cujus arguitur. Cic: à ſpe utilitatis Clodium Miloni ſtruxiſſe inſidias, probat pro Mil: Num: 32. *Quonam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium &c.*

Collatio ſeu Comparatio eſt, cùm oſtenditur nulli alteri ex patrato facinore majus emolumentum accidiſſe, quàm ipſi reo.

Signum, eſt indicium aliquod, quô oſtenditur idonea fuiſſe alicujus ſceleris patrandi facultas. *Signi Partes ſunt:* locus, tempus, ſpatium, occaſio, ſpes perficiendi, ſpes celandi, circumſtantiæ tam perſonæ quàm rei, quæ illô continentur verſiculo.

Quis, Quid, Vbi, quibus auxilijs, Cur, Quomodo, quando.

Præterea *Signum* aſſignatur *3plex* : antecedens, concomitans & conſequens.

Antecedens eſt, quod rem antecedit, ut minæ, jurgia, odium & alia ejuſdem generis. Hinc Cicero pro Mil: Clodij apparatum deſcribit Num: 26. *Servos agreſtes & barbaros; quibus ſylvas publicas depopulatus erat: Hetruriam vexârat, ex Apennio deduxerat, quos videbatis, res erat minimè obſcura &c.*

Concomitans Signum eſt, quod rei adjungitur, ut clamor, auditus, telum deprehenſum, & tota rei geſtæ ratio. Hinc Cic: Clodij cum Milone congreſſum pugnam

ac cædem deſcribit Num: 29. *Fit obviam Clodio ante fundum ejus, horâ fere undecimá, aut non multô ſecus, ſtatim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum: adverſi rhedarium occidunt &c.*

Conſequens Signum eſt, quod rem conſequitur. Tali utitur Idem Cic: pro Mil: Num: 57. *Cur igitur victus eſt, quia non ſemper viator à latrone, nonunquā etiam latro à viatore occiditur &c.*

Argumentum eſt, quod non tantùm ſignis enumeratis, ſed firmioribus rationibus crimen admiſſum probat. Quare v g. Clodius occiſus eſt, quia inſidiatorem vitæ jure occidere licet.

Conſecutio eſt, quâ inducuntur ſigna, quæ accuſatū, nocentem vel innocentem oſtendunt. v g. *expalluit quæſitus de ſcelere, ergo illud fecit.* Unde & Juvenalis Poëta.

Heu quàm difficile crimen non prodere vultu?

Approbatio eſt confirmatio rei alicujus; qua res aliqua firmiùs atq; certiùs confirmatur, quæ petenda eſt à Teſtibus, Rumoribus, Tormentis &c. de quibus ſuprà.

Status DEFINITIONIS eſt, in quo quæritur quid eſt factum, & quo nomine appellandum? *an v.g. ille, qui rem profanam in loco ſacro abſtulerit, ſacrilegus dicendus, an verò fur ſimplex?*

Status

Status hic est 2plex: Quid nominis & Quid rei. *Quid nominis est,* in quo de natura vocis seu nominis inquiritur. v.g. *an Rhetorica sit fluidè scientia dicendi.* *Quid rei* est, in quo natura & essentia rei inquiritur v.g. *an Rhetorica sit ars, quæ viam & rationem rectè & ornatè dicendi tradit.*

Locus Status istius est duntaxat *unus:* Ipsa *sc:* *Definitio Oratoria,* quæ est prolixior rei alicujus descriptio, à Causis, Effectis, adjunctis alijsq; locis deducta, de qua actum est de Locis Insitis.

Status QVALITATIS est, in quo quæritur, quale sit factum; *seu* in quo controversia instituitur, jurene aliquid, an injuria factum constet? *v g. Jurene an injuria Clodius interfectus sit?*

Status Qualitatis est *2plex:* Legitimus & Juridicialis *Legitimus* est, quando ex legibus vel ex scripto nascitur controversia, quæ etiam *legitima* seu *legalis appellatur, imò & negotialis* dicitur, quòd in ipso negotio Juris Civilis habet implicitam controversiã. v.g. *Quidam pupillum hæredem fecit, pupillus antè mortuus est, quàm in suam hæreditatem veniret; de ea hæreditate, quæ pupillo venit, inter eos, qui Patris pupilli secundi sunt, & inter agnatos pupilli controversia est.*

Species Status Legitimi sunt quinq;: Scriptum seu sententia, Leges contrariæ, Ambiguum, Ratiocinatio & Translatio. *Scriptum* est, quando inter se dissident Scriptum & voluntas. v.g *Lex est Romæ. Si Peregrinus muros conscenderit capite plectatur: cùm hostes muros occuparent, Peregrinus conscendit, & depulit hostes, accusatur quòd contra legem fecerit, se defendit legislatoris voluntate, quia, si prævidisset hunc casum excepisset.* In hac controversia scriptum clarum est, sed in mente scriptoris ambiguitas ideoq; nascitur status.

Leges contrariæ sunt, cùm duæ sententiæ aut leges pugnare inter se videntur, aut casu aliquo colliduntur v.g. *Lex una jubet, ut proditor Patriæ suspendatur, altera ut in exilium mittatur, uterq; legem habet, qua se tuetur.*

Ambiguum est, cùm scriptum aliquod duas vel plures accipit sententias, quæ vel ex verbi vel ex orationis ambiguitate colliduntur v.g. *Et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* ex ambiguo oritur controversia, num aquæ sint supra Orbes cælestes?

Ratiocinatio est, cùm res aliqua propria lege non est comprehensa, ex alijs legibus propter similitudinem aliquam, judicatur. v.g. *Lex erat Romæ, qui Patrem occiderit, insuatur*

facco.

facco cum gallo & cane immergaturq́ profundo maris. Ergo & matricida simili pœna puniendus est.

Translatio est, cùm reus in litem vocatus aut tempus, aut accusatorem, aut Judices, aut locum mutandum esse petit. A Jureconsultis *Fori exceptio* dicitur.

Status Juridicialis est, cùm æqui vel iniqui natura præmij & pœnæ ratio inquiritur. *Estq́ 2plex*: Absolutus & Assumptivus. *Absolutus* est qui factum ut ex se legitimum tuetur sinè ulla assumptione extraneæ defensionis.

Loci Status Absoluti sunt 6. Natura, Lex, Consvetudo, Æquum, Judicatum & Pactum. *Natura*, est illud jus, quod omnibus à natura insitum est, *ut DEUM colere, Parentes revereri, vitam tueri &c.*

Lex, est jus, populi vel magistratus alicujus jussu sancitum.

Consvetudo, est jus quoddam sine lege, sine scripto, ita tamen usitatum, acsi legitimum foret.

Æquum, est jus ad veritatem & utilitatem communem pertinens v.g. *Æqvum est vim vi repellere.* Ab æquitate probat Cic: Clodium jure occisum esse pro Mil: Num: 10. *Quid comitatus nostri? quid gladij volunt? quos habere certè non liceret; si illis uti nullo pacto liceret.*

 Judi-

Judicatum, eſt id, de quo ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum.

Factum eſt, jus, quod ſine legibus, conventu hominum plerumq; privatorum, ſtipulatione & ſponſione ſancitur.

Status Aſſumptivus eſt, cùm per ſe infirma defenſio, aſſumpta excuſatione ex Locis defenditur, juvatur aut extenuatur crimen.

Loci Status huius ſunt 4 Conceſſio, Relatio, Remotio & Comparatio.

Conceſſio eſt, cùm reus fatetur ſe deliquiſſe, ſed petit ſibi ignoſci pœnamq; deprecatur, vel ob ſpem melioris vitæ, vel ob aliam cauſam: *habetq́ duas Partes* Purgationem & Deprecationem.

Purgatio eſt, cùm reus conſultò aut dolo ſe feciſſe negat, ſed factum reijcit vel in neceſſitatem vel in fortunam vel in imprudentiam.

Deprecatio eſt, cùm reus fatetur ſe peccâſſe neq; imprudenter neq; fortuitò aut neceſſariò, tamen ignoſci ſibi poſtulat. Quæ Deprecatio poteſt peti ex Locis, ſi plura, aut majora officia rei quàm maleficia, conſtare videbuntur.

Relatio ſeu Tranſlatio eſt, cùm reus confitetur crimen admiſſum injuſtè, ſed confert culpam in alicujus peccatum & anterio-

teriorem injuriam v.g. *percussit, sed convicia̅ntem. Trucidavit sed contumeliosum & religionis desertorem.*

Remotio est, cùm à reo non crimen, sed culpa amovetur, & peccati causa vel in rem quampiam, aut hominem cujus jussu, seu potestate fatetur esse factum, confertur v.g. *accusatus aliqvis, non venit in judicium opportuno tempore, removet culpam in aquarum inundationem aut alium quempiam casum.*

Comparatio est, cùm dicimus necesse fuisse duorum alterutrum facere, & quod à nobis factum sit, satius fuisse fieri, tanquā rectum aut utile v.g. *Consules Romani quodam in loco à Samnitibus obsessi, duas sibi ad eligendum oblatas habuerunt conditiones, ut aut omnes necarentur ad unum, aut sub furcam irent; elegerunt alterum ex his, & sub furcam colla submiserunt. Accusati injustæ Romano nomini ignominiæ, se defendunt, quod alterum omnino faciendum erat, vel totus exercitus amittendus, vel hæc ignominia subeunda.*

CAPUT XVI.

De Speciebus Orationum Generis Judicialis.

SPecies Orationum in hoc Genere numerantur communiter 6. Accusatoria, Defensoria, Expro-

probratoria, Invectoria, Objurgatoria & Deprecatoria.

Quid est Oratio Accusatoria? Est rei apud Judices ob crimen aliquod commissum gravis & honesta delatio.

Exordium in hac Oratione sumitur vel à deploratione temporis præsentis, in quo tam corrupti invaluerunt mores, ut etiam de commissis sceleribus multi soleant gloriari; vel à conquestione, aut dubitatione, aut exclamatione. ut facit Cic: Catilinariâ I. Num: I. *Quousq; tandem abutere Catilina patientiâ nostrâ &c.* vel ab aliqua Figura, quæ sit idonea dolori exprimendo reiq; gravitati; vel ab enumeratione causarum, quibus compulsus aliquis, descendit ad accusandum. Ut est amor justitiæ, communis utilitatis ratio &c.

Narratio explicabit crimen ab adjunctis, aut ab ijs, quæ factum antecesserunt, aut consecuta sunt, aut quæ cum facto cõjuncta sunt.

Confirmatio crimina collecta rei acriter exponet: si necessitas postulet Tabulas fideliter proferendo, Testes religiosè producendo alijsq; patratum scelus manifestis deducet argumentis. Præterea causas adjuvantes & instrumenta, quibus reus in committendo scelere usus est, proponet. Poterit

rit quoq; ad majorem maleficij exagerationem profiteri se multa modestiæ causâ prætermittere, ut in hac ratione Judicũ auribus parcat.

Confutatio refellet ea omnia, quæ aut tuæ accusationi fidem derogare, aut reum veniâ dignum ostendere videbuntur.

Conclusio brevem superiorum criminum recapitulationem habebit, excitabitq; judices ad vindictam ex reo sumendam, cùm bonis noceat, qui parcit malis.

Quid est Oratio Defensoria seu Apologia? Est qua crimen alicujus apud Judices depellitur, vel per excusationem facti, si reus sit, nocens, vel per innocentiæ declarationem, si fuerit insons.

Exordium hîc ducitur vel à circumstantijs locorum & temporum. quale est in Cic: pro Cælio. vel Personarum. quale est pro Planco. vel à Persona, quæ defenditur. quale est pro Archia Pòëta, vel ab erroris confessione quale est pro Rab: Posthumo. Vel ab enumeratione causarum, quibus aliquis impulsus, descendit ad defendendum reum.

Narratio explicabit breviter modum admissi criminis, singulas verò aut præcipuas accusationis partes discutiet ac refellet,

Ut facit Cic: pro Milone, ubi de industria prætermittit illa, quæ & sibi invidiam & Miloni odium apud Judices erant conflatura.

Propositio commodè effingi potest per Præoccupationem.

Confirmatio crimen argumentis elevabit, quòd fiet si exponantur causæ impellentes. v.g. quòd metu impulsus vel damnis, aut injurijs lacessitus, vel aliter vitam suam tueri non valens, ad tale facinus accesserit. Proderit quoq; ad absolutionem rei afferre aliorum exempla, qui cùm paria aut certè majora crimina commiserint, veniam tamen à Judicibus impetrârunt.

Confutatio adversariorū diluet argumenta, quibus labefactatis suam justiorem deducet causam.

Conclusio continebit preces pro reo, quæ instituentur per brevem ejus meritorum, in Remp: vel ipsos Judices repetitionem, tum quoq; earum rerum commemorationem, quibus veniam reus mereri posse videbitur.

Quid est Oratio Exprobratoria? Est qua ingrato & immemori beneficiorum atq; studiorum, eadem ipsa beneficia & studia, cum quadam indignatione ob oculos ponuntur.

Exor-

Exordium hîc ſumitur vel ab aliquo dicto ſeu exemplo, de ingratis, vel à magnitudine doloris ex ingratitudine, vel ab aliqua ſententia materiæ ſerviente.

Narratio commodé inſtitui poteſt per Prolepſim, dicendo non eſſe quidem beneficia quæ conferuntur commemoranda, ſed ijs tantum, qui cùm hæc acceperint, eorum gratos & memores ſeſe exhibent; ingratis verò commemorari debent. hancq; Prolepſim ſequetur enumeratio beneficiorum, quæ non ſine exprobratione eorumdem inſtituenda eſt.

Propoſitio ſolet formari per quandam excitationem v.g. *Iamne igitur hæc tibi ex memoria effluxerunt?*

Confirmatio tribus potiſſimum abſolvitur locis *1mò.* à Circumſtantijs, ubi diligenter examinabit Orator, quis acceperit beneficium, an egens? quo tempore, quo loco, quibus ſpectantibus, à quo, an *ſc:* ab eo, quem nullo unquam ſibi obſtrinxerat beneficio *2dò.* à magnitudine maleficij, quod amplificatur facile, ſi deſcendat Orator ab Hypotheſi ad Theſim, univerſum vitium ingratitudinis inſectando, cui nihil non ineſt mali. *3tiò.* à Comparatione, maximè cum brutis animantibus, ut cum ca-

nibus

nibus, imò cum leonibus, draconibus, aspidibus, de quibus mira gratitudinis extant exempla apud Pliniũ Lib 1. Cap: 74.

Confutatio. refellet ea omnia, quæ in excusationem afferri possint v.g. si dicat, quòd non habuerit occasionem benè merendi de eo, à quo beneficijs est cumulatus, diceret Orator, nolenti nihil esse faciliùs, quàm occasionis defectũ accusare.

Conclusio dolorem testabitur, deindè Judicem DEUM appellabit, illi autem cui beneficium exprobratur, mentem precabitur meliorem.

Quid est Oratio Invectoria? Est qua sceleratum aliquem spirante adhuc ejus scelere debita cum indignatione insectamur.

Estq; hæc Oratio 2plex: *Una*, quæ in homines publicâ infamiâ notatos; *altera*, quæ in hominum corruptos mores invehitur.

Exordium hîc ducitur vel ab admisso scelere, quod explicabit Orator per vehementem exprobrationem, reddetq; causam, cur illud scelus ita vehementer insectetur. Ut facit Cicero in Vatinium, vel à Persona, in quam invehimur. Ut idem Cic: Catilinariâ 1mâ. *vel* ab aliqua circumstantia Loci & temporis, quod fermè commune est omnibus hujus Generis Orationibus.

Narra-

Narratio exponet factum accuratissimè, ut facilius oculis omnium subijciatur.

Propositio instituetur per acrem interrogationem, quæ pungat & feriat eum, in quem invehimur. v.g. *Quis te non oderit, quis non execretur?*

Confirmatio 4. potissimum expedietur locis. *1mò.* ab exageratione sceleris, per illas circumstantias communes quid quis &c.

2dò. ab Effectis enumerando incommoda, quæ ex illo scelere vel sequuntur quotidiè, vel in posterum sequi possunt, nisi in authorem animadvertatur.

3tiò. à Comparatis, aliorum nefanda scelera cum hoc comparando, quibus omnibus hoc magìs tragicum ostendetur, atq; majori supplicio censendum erit. *4tò.* ab Imprecatione, ut ille, in quem invehitur, ærumnosissimus factus, alijs exemplo esse incipiat.

Confutatio diluet ea, quæ habere videbuntur aliquam spem excusationis.

Conclusio instituetur per execratione̅ sceleris cum indignatione, poteritq; fieri ad DEUM apostrophe, ut tantum facinus non sinat impune abire, ne ejus contagione plurimi infecti existiment malis non esse pœnas.

Quid est Oratio Objurgatoria? Est reprehen-

ſio inſtituta ad ejus emendationem, qui contra officium vel honeſtatem aliquid commiſerit.

Pro varietate verò ingeniorum, varia dêbet inſtitui objurgatio. *Alij* enim ſunt adeò duræ cervicis, ut ſi graviter intones, nihil proficias. *Alij* ita molles & pavidi, ut ſi acerbioribus verbis increpes, citiùs perdas, quàm corrigas. Semper verò objurgatio eſt ſuperioris ad inferiorem, ut Imperatoris ad milites: Principis ad ſubditos: Paſtoris ad gregem: Parentis ad Filios &c.

Exordium ſumitur hîc vel ab ennmeratione cauſarum, propter quas querimur: vel ab admiratione, quæ ex rei novitate naſcitur. vel à ſpe virtutis & expectationis bonæ, quam ſibi omnes pollicebantur, cui expectationi degener & ignavus reſpondere minimè conatus eſt. Vel à dubitatione, dubitando quo nomine ſcelus hoc debeat appellari.

Narratio crimen admiſſum per Hypotipoſim oculis ſubijciet; curandum tamen, ut convenienti nomine crimen vocetur.

Confirmatio exagerabit crimen à Circumſtantijs Loci, Temporis & Perſonarum. ut ſi dicatur, contra Ducem, Patriam, Parentes deliquiſſe: ob vitandam verò invidiam,

dicet

dicet Orator, quòd non tam ille, quàm potius alij hoc vitium in eo observârunt, hancq; objurgationem ex solo amore proficisci innuet.

Conclusio obsecrabit eum, quem Orator objurgat, ut memor honestatis suæq; conditionis, à tam enormi facinore resipiscat, nihilq; intensiùs curet, quàm ut conceptæ omnium de se opinioni respondeat.

Quid est Oratio Deprecatoria? Est qua veniã criminis admissi dari nobis postulamus.

Exordium sumitur hìc vel à qualitate ipsius criminis, quod deprecamur; vel ab adjunctis Personæ, pro qua deprecamur; vel ab adjunctis eorum, penes quos est puniendi vel condonandi crimen potestas.

Confirmatio continebit argumenta veniam deprecanti conciliantia, quæ sumenda sunt.

1mò. à Persona læsa, quam à natura ad clementiam & misericordiam dicemus esse formatam: ubi in laudes harum virtutum per aliquem locum communem excurrendum erit.

2dò. à Persona lædentis, qui si fuerit genere illustris, dicetur hactenùs nulla vitiorum labe notatum esse, ubi quoq; laudari poterit ab adjunctione, præsertim si fuerit eruditione perpolitus vel rei milita-

ris ſcientiâ alijsq; virtutibus præditus, propter quas dicetur eſſe Reipub: utilis.

3tiò. à Circumſtantijs admiſſi criminis, ſi videlicet oſtendatur errore admiſſum, aliorum ſvaſione, vel alicujus furoris & iracundiæ impetu, tum quoq; ſi declaretur quòd nulli alteri, niſi ſuo authori illud factum nocumento futurum ſit.

4tò. à Remotione ſuppliciorum, præſertim ſi jam de ſcelere admiſſo tantùm reus conceperit odium, quantum nunquam extorqueat ſuppliciorum atrocitas.

Confutatio refellet ea omnia, quæcunq; vel deprecationi obſtare, vel futuræ correctionis ſpem convellere videbuntur.

Adverte præter enumerata & explanata tria Cauſarum Genera *ab aliquibus 4tum Genus aſſignari Didaſcalicum,* quod eſt exacta rei aut ignotæ, aut minùs notæ expoſitio & doctrina illuſtrior; ſed hoc à Genere Demonſtrativo non videtur differre, ideo jam ad 2dam Rhetoricæ Partem, II. Libro tractandam, deſcendamus

LIBER

LIBER II.

De Dispositione II. Part: Rhetoricæ.

Dispositio est apta rerum inventarum in ordinem distributio *seu* est ratio per quam illa, quæ inveniuntur in ordinem rediguntur. *Est 3plex.* Partium Orationis, Argumentorum & Argumentationum.

Dispositio Partium Orationis est, quæ docet Partes Orationis disponere, ostendendo quæ pars, quô locô sit ponenda. *Et Hæc est 2plex.* Naturæ, & Artis seu Judicij. *Naturæ est*, quæ docet ut 1mò locô ponatur Exordium, 2dò Narratiò, 3tiò Propositio, 4to, Confirmatio, 5tò, Confutatiò, 6to Epilogus. *Artis seu Judicij* est, quæ nullis præscriptionibus traditur, sed ad rationem temporis & rei accommodatur, qua exigente nonnunquam vel Pars Orationis aliqua omittitur. vel alia alijs præponitur postponiturq;. Ita facit Cicero in Oratione Miloniana præponens Confutationem Narrationi & Confirmationi.

Quid est Oratio? Est sermo copiosus ornatus, & secundùm Rhetorica præcepta conscriptus.

Partes Orationis Rhetoricæ sunt 6. Exordium,

Narratio; Propositio, Confirmatio, Confutatio & Epilogus. *Suntq; 2plices.* Essentiales & minùs Essentiales.

Essentiales seu maximè necessariæ, sinè quibus nunquam potest esse Oratio; *sunt duæ*: Propositio & Confirmatio, & juxta aliquos Epilogus.

Minùs Essentiales seu minùs necessariæ, sinè quibus aliquando commodè Oratio stare potest. *sunt reliquæ* 4. Exordium, Narratio, Confutatio, & Epilogus.

CAPUT I.

De Exordio.

EXordium est initium & prima pars Orationis, qua præparatur Auditoris animus ad amicè, attentè & benevolè audiendum. *Seu* est aditus quidam ad Orationem, quô animus Auditoris præparatur ad audiendũ reliquam Orationem. *Estq; 2plex.* Rectum & Obliquum.

Exordium Rectum seu Principium est, in quo statim & apertè claris & apertis rationibus benevolentia, attentio & docilitas paratur.

Exordium Obliqvum seu Insinuatio est, in quo occultè, callidè & latenter pectus & animũ Auditoris subintrando, benevolentia, attentio & docilitas paratur.

Exordio Recto seu Principio utendum est Oratori in causis honestis, decoris, & utilibus; siquidem nemo est, qui non facilè honestati faveat aut utilitate ducatur.

Obliquo autem seu Insinuatione tùm temporis, quandò vel Auditor ab adversarijs persvasus, vel Oratione adversarij defensus, vel deniq, quandò habet causam turpem, humilem; admirabilem vel dubiam.

GENERA Exordiorum sunt Sex: Honestum, Turpe, Admirabile, Dubium, Humile, & Obscurum.

Honestum Genus est, cùm id laudatur vel vituperatur, svadetur vel dissvadetur, accusatur vel defenditur ab Oratore, quod omnibus ita faciendum esse videtur. v. g. *dum bonos laudamus vel malos reprehendimus.*

Turpe est, cùm aut honesta res expugnatur, aut turpis defenditur, quod aliquandò exercitationis gratiâ fieri solet. v.g *si quis Temperantiam virtutem vituperet. vel Otium laudet.*

Admirabile est, quod præter omnium opinionem instituitur. v.g. *si quis dicat solos sapientes esse divites.*

Dubium Genus est, cùm causa habet in se Partem honestatis, & partem turpitudinis. v.g. *Romulus Vrbem à se conditam muniens lege*

cavit, ne quis vallum transiriret, Remus legem irridens, vallum transilijt, quem Romulus interfecit. Undè hîc est *Causa honesta*, quia legis contemptorem; *turpis verò*, quia Fratrem interfecit.

Humile Genus est, cùm res vilis & contempta affertur. v.g. *si quis publicè instituat orationem de musca cum Luciano; de culice cum Virgilio, &c.*

Obscurum quod juxta alios appellatur *Paradoxum* est, cùm difficultatibus involuta & obscura causa tractatur.

FINES Exordiorum sunt 3. Benevolentia, Attentio & docilitas.

Benevolentia est conciliatio Auditoris animi ad amicè audiendum Orationem. *Loci conciliandæ benevolentiæ sunt duo:* à Personis & à Rebus. *Personæ* à quibus captatur Benevolentia *sunt* 4. Persona nostra seu Oratoris, Persona Clientis seu Rei, Persona Actoris seu Adversarij, & Persona Judicis seu Auditoris.

A Persona nostra seu Oratoris captatur benevolentia, *4r. modis.* 1mò quandò amore Patriæ suscipitur aliquid. Ut Cicero pro Sylla Num: 1. *quan uàm ex hujus incommodis magnam animo molestiam capio* &c. 2do. quandò amicorum petitione. Ut pro Amerino Num: 4.

Accedit.

Accedit illa quoq; causa, quod à cæteris ita quoq; petitum est, ut utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur. &c.

3tiò. quando ex officio publicisq; rationibus. Ut pro Rabirio Num: 4. *ut id studiosissimè facerem, salus Reipublicæ, consulare officium, consulatus deniq; ipse, mihi una vobiscum cum Reipublicæ salute commendatus, coëgit &c.*

4tò. quando utilitatis publicæ procuratione Orator aliquid se suscepisse declarat. Ut Cic: actione 2da in Verrem Num: 2. *Huic ego causæ Iudices cum summa voluntate & expectatione populi Romani Actor accessi, non ut augerem invidiam ordinis, sed ut infamiæ communi succurrerem. &c.*

A Persona Clientis seu Rei paratur benevolentia apliciter. *1mò.* si ejus probitas vitæq; integritas ostendatur, virq; bonus & virtutis amans esse dicatur. 2dò. si ejus calamitas & infirmitas sive animi, sive ætatis, sive conditionis explicetur. Ut facit Cicero pro Mur: Num: 87. *Atq; ita vos Murena, Iudices orat atq; obsecrat, si injustè neminem læsit, si nullius aures voluntatemq; violavit, si nemini, ut levissimè dicam, odio nec domi, nec militiæ fuit: sit apud vos modestiæ locus, sit demississimis hominibus perfugium, sit auxilium pudori &c.*

A Persona Actoris seu Adversarij paratur Benevo-

lentia, quando adversarium ob illius vel injustitiam, vel impudentiam, vel audaciam, vel immanitatem, vel ob avaritiam & infamiam, cupiditatem, vel ob ingratitudinem apud Auditores, in odium adducit Orator. Ut Cic: Castorem crudeliter ingratum damnat, quòd in eum, qui Familiam ejus abjectam in lucem vocavit, suam crudelitatem ostenderit, Orat: pro Dejo: num: 30. *Sint sanè inimicitiæ, quæ esse non debebant. Rex enim Dejotarus vestram Familiam abjectam & obscuram à tenebris in lucem vocavit. Quis tuum Patrem antea qui esset, quàm cujus gener esset audivit. &c.* Idem adversarij impudentiam & audaciam ostendit pro Rosc: Amer: Num: 13. *Accusant ij, qui in fortunas ejus invaserunt: causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt &c.*

A Persona Judicis seu Auditoris paratur Benevolentia, quando Orator eorum, apud quos verba facit, vel justitiam, vel sapientiam, vel humanitatem & clementiam virtutesq; alias, sive illorum frequentiam, vel strenuè res ab eis gestas laudibus extollit. sic Cic: humanitatem & clementiam Cæsaris laudat pro M. Marcello Num: 1. *Tantam enim mansvetudinem, tam inusitatam inauditamq; clementiam, tantum in summa potestate*

verum omnium modum, tam deniq; incredibilem sapientiam ac pæne Divinam tacitus nullo modo præterire possum &c. Idem frequentiam Auditorum Philip: 4. Num: 1mo. laudat. *Frequentia vestra incredibilis concioq; tanta, quantam meminisse non videor, & alacritatem mihi summam affert Reipublicæ defendendæ & spem recuperandæ libertatis.*

A rebus benevolentia paratur, quando Orator rerum gravitatem, ob crudelitatem sive ob gratitudinem aut ingratitudinem, ob novitatem sive ob alias circumstantias demonstrat. Ut Cic: post Reditum in Senatu Num: 1. *Si Patres Conscripti pro vestris immortalibus in me fratremq; meum, liberosq; nostros meritis parum vobis cumulatè gratias egero, quæso obtestorq; ne meæ naturæ potius, quàm magnitudini beneficiorum vestrorum tribuendum putetis.* Vel quandò rei suæ comparationem cum re adversarij instituit suam præponendo, vel quando suam utilem Auditoribus fore promittit. Ut Cic: Divinat. in Ver: nu: 7. *Quid est, proh DEUM hominumq; fidem, in quo ego Reipublicæ plus hoc tempore prodesse possim &c.*

Attentio est intensio animi ad audiendum, ita ut de re hac tantùm cogitet Auditor, de qua instituitur sermo. *Hæc* paratur *1mò Promissione*; quando Orator pollicetur se de

magnis

magnis rebus & inusitatis dicturum. *2dò. Enumeratione* rerum & consequentium. Ut Cic: 2. in Verrem Num: 10. *Etenim quod est ingenium tantum: quæ tanta facultas dicendi & copia, quæ istius vitam, tot vitijs flagitijs convictā, jam pridem omnium voluntate judicioq; damnatam, aliqua ex parte possit defendere. 3tiò. Commendatione* rei. *4tò. clara probatione.* Ut idem Cic: pro Planc: Num: 3. *Nisi ejus integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero, nihil de pœna recusabo &c. 5to. Deprecatione* ut Auditor attendat. Ut Cic: pro Ros: Num: 10. *Quapropter vos oro atq; obsecro judices ut attentè bonaq; cum venia verba mea audiatis &c.*

Docilitas est, in qua breviter & dilucidè summa totius causæ, de qua dicturus est Orator, exponitur. Paratur autem Docilitas potissimùm 1. *Brevitate* dum nonnisi illa proponit Orator, de quibus dicturus est. Ut facit Lucanus libro 1mo:

Bella per Emathios plusquam civilia campos,
Jusq; datum sceleri canimus.

Et Cic: pro Lege Manil: Num: 4. *dicendum enim de Cnei Pompei singulari eximiaq; virtute.*

2. *Claritate*, cùm clara & usitata verba adhibet Orator.

3. *Ordine*, quando enumerat, quo ordine aliquid

quid dicturus est. Ut facit Cicero pro Cluent: numero 1. *Animadverti Judices omnem accusationis Orationem in duas divisam esse partes &c.*

FONTES *Exordiorum* ex quibus duci solent, juxta Hermogenem *numerantur* 4. ab Opinionibus, à Divisione, à Superabundanti & à Circumstantijs.

Ab Opinionibus Exordium sumitur, cùm Orator ab illa re Orationem suam exorditur, de qua interea Auditorem cogitare putat. Ut Cic: pro Sex: Rosc: Num: 1. *Credo ego vos Judices mirari, quid sit, quòd cùm tot summi Oratores, hominesq; nobilissimi sedeant, ego potissimùm surrexerim, is qui neq; ætate, neq; ingenio, neq; authoritate sim cum ijs, qui sedeant, cōparādus.*

A Divisione est, cùm Orator in principio Orationis dividit vel facta, vel res, vel opiniones, vel tempora. *Facta* dividuntur in bona vel mala. *Opiniones* in antecedentes & consequentes *Tempus* in præsens, præteritum, & futurum. Ex hoc Fonte dicit Cic: pro Publ: Quinctio Num: 1. *Quæ res in civitate duæ potissimùm possunt; eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore summa gratia & eloquentia.*

A Superabundanti est, cùm Orator dicit se adeò copiosam habere dicendi materiam, ut necesse habeat multa prætermit-

mittere, quò meliùs, aliquibus tantùm adhærendo, suo satisfaciat officio. Ut Cic: Verr: 4. Num: 1. *Multa mihi necessariò Judices prætermittenda sunt, ut possim aliquo modò de ijs rebus, quæ meæ fidei commissæ sunt, dicere.*

A Circumstantijs seu Adjunctis Fons Exordiorum est, cùm Orator incipit Exordium vel à Persona sua, vel Judicum, vel adversariorum, vel ab opportunitate Temporis, Loci &c. Ut Cic: pro Dejotaro Num: 1. *Cùm in omnibus caussis gravioribus C. Cæsar initio dicendi commoveri soleam vehementius, quàm videtur vel usus, vel ætas mea postulare &c.* Tale est Exordiũ pro Cellio, Muræna, Marcello, lege Manilia. &c.

Poteftne aliundè Exordium sumi præter enumeratos Fontes? Potest ex alijs Locis Inventionis tàm Intrinsecis, quàm Extrinsecis. Liberum quoq; est Oratori, vel ex enumeratis Fontibus simul omnibus, vel ex uno, aut duobus, sive tribus, vel ex quocunq; loco sumere Exordium, quod defacto tunc optimum & omnibus causarum Generibus accommodatissimum est, cum ex visceribus causæ ipsius depromitur.

PARTES Exordij sunt 6. Prothasis, Catascheve, Auxesis, Apodosis, Ethyologia & Basis. *Prothasis seu Propositio* est, in qua expo-

nun-

nuntur aut opiniones aut divisio; aut rei abundantia, aut Circumstantiæ, sive rerum, sive Personarum, temporum, Locorum &c. *seu Prothasis* est, quæ viam parat futuræ dictioni ex quocunq; Fonte Exordiorũ sumpta, ut pro lege Man: Exordij simplex Prothasis est talis: Hoc aditu laudis non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes prohibuerunt. Estq; ibi Num: 1. *Quanquam mihi semper frequens conspectus vester &c.*

Catascheve seu Ratio est, in qua una vel plures rationum expositiones afferuntur. Ut in eadem Oratione ratio talis; quia videbam multa huc elaborata afferri oportere. Est ibi Num: 1. *nam cum antea per ætatem &c.*

Auxesis seu Amplificatio est, in qua Rationis Ratio una vel plures exponuntur, rei locupletandæ gratiâ. ut in eadem Orat: Num: 2. *Neq; hic locus vacuus unquam ab ijs, qui vestram causam defenderint. &c.*

Apodosis seu Reflexio (quæ contrariari quodam modo Propositioni debet) est, in qua Orator vel postulat aliquid, vel præcipit, suamq; ad materiam sibi accessum format. Ut in eadem Maniliana. Num: 2. *Nunc cùm in me & authoritatis tantum sit, quantum vos honoribus mandandum esse voluistis. &c.*

Ethyologia seu Apodoseos Ratio est, quæ augendæ

vel minuendæ rei gratiâ adhibetur, debetq; semina futuræ Confirmationis habere. Ut in eadem Oratione Num: 3. *atq; illud imprimis mihi lætandum jure esse video &c.*

Basis seu sustentamentum est, in qua continetur superiorum exitus & transitio ad sequentia, ne videlicet, quasi ex improviso in alias Orationis Partes irruat Orator. Ut in eadem Oratione Num: 2. Basis est talis. *Itaq; non tam mihi copia, quàm modus in dicendo quærendus est.*

Adverte in artificioso Exordio hoc requiri ut contineatur duobus Enthymematis; *quorum imum* in Prothasi, Catascheve, & Auxesi; *alterum in* Apodosi, Ethyologia & Basi lateat. Posterum debet habere aptissimū aditum ad causam, de qua dicturus est Orator, debetq; naturalis illius esse dispositio, jam vero 1mi Enthymematis, quod ponitur pro Prothasi & Catascheve dispositio artificialis solet esse.

Adverte 2. Posse quoq; confici Exordia per Syllogismum. Ex cujus majori Propositione *Prothasis.* Ex Ratione majoris *Catascheve.* Ex minori syllogismi *Apodosis.* Ex ratione minoris *Ethyologia.* Ex conclusione *Basis* cum Generali Propositione formatur. Meliùs tamen per Enthymemata duo for-

mantur

mantur Exordia.

PARTES Exordiorum enumeratæ sunt duplices: Magis necessariæ & minùs necessariæ *Magis Necessariæ* quæ omitti nequeunt, *sunt 3.* Prothasis, Apodosis, & Basis, imò & Basis aliquando ab Oratore potest omitti vel etiam occultari. *Minùs Necessariæ*, quæ interdū *omittuntur, sunt*: Catascheve, Auxesis & Ethyologia.

VIRTVTES Exordiorum sunt 6. *ima.* ut sit Exordium accuratum, sententijs & verbis idoneis illustratum. *2da.* ut sit ex visceribus rei, de qua dicturus est Orator depromptum. *3tia.* ut sit connexum cum sequentibus & habeat semina Argumentorū in Confirmatione adferendorum. *4ta* ut sit mediocre & pro materia rei formatum, ne sit quasi giganteum caput pusillo corpori impositum. *5ta.* ut sit clarū & apertū. 6ta. ut in illo servetur Stylus svavis, numerosus, placidus, sinè furore & vehementia.

Vitia Exordiorum sunt virtutibus opposita, numeranturq; *Imum.* si sit commune. *2dum.* si sit commutabile. *3tium.* si sit nimis apparatum, vel nimis longum. *4tum.* si sit separatum nec ex visceribus causæ desumptum. *5tum.* si translatum sit, aliud conficiens, quàm quod causæ genus postulat. *6tum.* si sit contra præcepta institutum.

CAPUT II.

De Narratione.

NArratio est rerum gestarum vel quasi gestarum utilis ad persvadendum id, quod intenditur, commemoratio. *Dividiturq́; 1mo.* In veram & verisimilem. *2do.* In simplicem & apparatam.

Narratio vera est, quæ res verè gestas exponit, quales sunt Historiæ. v.g. Flori, Dlugossi; Taciti &c.

Narratio verisimilis est, quæ exponit res non quidèm gestas, sed quæ fieri poterant. Et tales Narrationes sunt Pòëtarum, in Tragædijs, Comædijs alijsq́; fictionibus.

Narratio simplex, quæ rem sinè rationibus & apparatu, ita ut est facta explicat. Talis est in Cicerone Cati: 3.

Narratio Apparata. est, quæ in sua explicatione argumenta & confirmationes continet, videturq́; cum testimonio dici. Talis est in Cicerone pro lege Manilia.

GENERA *Narrationis sunt* 3. Civile seu Oratorium, Digressorium seu Intercurrens & Remotum.

Civile Narrationis Genus seu Oratorium est, quod continet utilem Quæstionis expositionem.

Suntq;

Sumtq; *Officia ejus.* 4. *1mum.* ut rem gestam exponat. *2dum.* ut narret vincendi causâ nihil addendo vel omittendo. *3tium* ut semina quædam argumentorum in Confirmatione fusiùs tractandorum contineat. *4tum* ut judiciorũ Causis deserviat. *Ideoq;* *hoc Narrationis Genus* appellatur *Judiciale seu Forense.*

Genus Narrationis Digressorium quod extra Causam assumitur, est excursio quædam, favorabilis in loco aliquo plausibili paululum commorans, idq; vel *fidei comparandæ* gratiâ. Ut facit Cicero Verrinâ 4tâ, ubi laudat fertilitatem Siciliæ, quo verisimiliùs judicetur Verrem fuisse incontinentissimum. *Vel criminationis causâ*, ut idem passim fecit in Oratione Miloniana, ubi sæpiùs utitur digressionibus, propter majus odium Clodianis comparandum. *Vel propter aliquam transitionem*, Ut pro lege Manilia, ubi dicturus pro Pompeio in laudes Luculli digreditur. *Vel deniq; apparatûs & amplificationis ergò*, cùm scilicet crimen vel factum aliquod exageratur, ut idem Cicero passim fecit in Verrinis.

Locus Generi Digressorio non tantùm est in Narratione, sed etiam in alijs Oratioris Partibus, dum excurrendi porrigitur oc-

casio in fabulas, facetias, Historias, aliaq; delectabilia, vel in describendas Personas, loca, tempora, &c.

Genus Narrationis Remotum est, quod non habet locum in Causis civilibus, in eo tamen exerceri expedit, quò faciliùs eloquentiæ dediti, in hoc Genere exercitati, illa duo commodiùs tractare possint. Ut Cicero pro Archia Narrationem Pòétarum, inqua à pueritia fuit versatus, instituens, multùm sibi profuisse ostendit.

Remotum Genus Narrationis est: Duplex In Personis & in negotijs consistens. *In Personis consistens* est, quô Personæ describuntur, earumq; mores attributa & facta cum laude vel vituperio commemorantur. Talis Narratio est Catilinariâ 1mâ. *In Negotijs consistens* est, quô res gestæ describuntur locorumq; & temporum descriptiones notantur.

Genus hoc Remotum habet species 3. Fabulam, Historiam & Argumentum.

Fabula est rerum falsarum & vera similitudine carentium narratio. Qualis est de Lycaone in lupum, de Daphne in laurum, &c.

Historia est, quæ res gestas continet, sed ab ætatis nostræ memoria remotas, ut est

Histo-

Hiſtoria Livij, Curtij, Taciti, Cromeri &c.

Argumentum eſt Narratio rerum veriſimilium, quæ non recedunt à communi rerũ natura. Quales ſunt Narrationes apud Plautum, Terrentium Sophoclem.

VIRTVTES Narrationis ſunt 4. Brevitas, Perſpicuitas, Probabilitas & Svavitas.

Brevitas eſt, quæ facit ut rerum narratarũ imagines faciliùs menti & memoriæ inhæreant. Paratur potiſſimùm modis 3bus. *1mò.* ſi res non altiùs, quàm undè ſit neceſſe; ibiq; deſinamus, ubi opus fuerit. *2dò.* ſi nihil extra cauſam dicatur. *3tiò.* ſi ſummatim & exactè rei inſtituatur Narratio; ubi tamen diligenter obſervandum, ne vel brevitas rem ipſam obſcuret, vel plùs dicatur, quàm rei neceſſitas poſtulet.

Perſpicuitas eſt, quæ efficit, ut clariùs intelligatur id, quod narratur, paraturq; 2bus modis. *1mò.* ſi res eo ordine, quô geſta eſt exponatur, ſervatô ordine Cauſarum, locorum & temporum, ſecluſa omni perturbatione. *2dò.* ſi verbis proprijs & uſitatis res deſcribantur.

Probabilitas eſt, quæ præſtat, ut fidem adhibeat Auditor ijs, quæ ab oratore dicuntur. Hæc 3bûs paratur modis. *1mò.* ſi ea, quæ dicuntur, Perſonis, temporibus & Locis

ſint conſentanea. 2dò. ſi ſint naturæ, legi & moribus congruentia. 3tiò. ſi facti cujusq; evidentes cauſæ proferantur.

Suavitas eſt, quæ efficit, ut ea, quæ dicuntur ab Oratore, cum quadam jucunditate audiantur ab Auditore. Hæc quoq; 3bus potiſſimùm paratur modis. 1mò. ſi nova, inexpectata, magna, non viſa & inaudita 2dò. ſi ſententiæ graves adhibeantur, quæ admirationes, metus, dolores ſuſpiciones, deſideria, lætitiam animorumq; habeant motus. 3tiò. ſi non pleno ſemper ore decurrat Orator, ſed identidem concidat, quod frequẽter videre eſt apud Ciceronem.

Vitia Narrationis ſunt. 4. 1mum. ſi Narratio ſit longa 2dum. ſi ſit obſcura. 3tium ſi ſuſpicione aut dolô aliquo laboret. 4tum. ſi in ea adhibeatur modus narrandi perturbatus, qui neq; principium neq; finem convenientèr habeat.

PARTES Narrationis ſunt tres. Prænarratio, Narratio & Poſtnarratio.

Prænarratio eſt acceſſus ad ipſam narrationem continens ea, quæ rem ipſam anteceſſere. Ut pro lège Manilia Num: 4. *Atq; indè Oratio mea proficiſcatur; undè omnis Cauſa hæc ducitur. &c.*

Narratio eſt ipſa rei geſtæ expoſitio.

Ut

Ut in eadem Maniliana Num: eodem: *Bellum grave & periculosum vestris vectigalibus atq; Socijs à duobus potentissimis Regibus infertur &c.*

Postnarratio est exitus Narrationis constans summâ eorum, quæ antè latiùs exposita sunt. Ut in eadem Orat: Num: 6. *Causa quæ sit, videtis, quid agendum sit, considerate.*

Adverte Narrationem non semper succedere Exordio. Ut Verri: 1mâ. sed aliquando Propositioni subijcitur, Ut in Agraria facit Cicero, aliquando etiam Confutationi, ut in Oratione pro Milone, aliquandò præcipuè in rebus claris & manifestis omitti potest.

CAPUT III.

De Propositione.

PRopositio est, quæ breviter & dilucidè summam totius causæ complectitur & exponit, ad quam veluti ad scopum omnia Confirmationis argumenta diriguntur.

Estq; 2plex. Simplex & Conjuncta.

Propositio Simplex est, quæ unicam tantum in se continet Quæstionē. v. g. ostendam *pacem esse utilem Regnis.*

Propositio conjuncta est, quæ duabus aut pluribus Quæstionibus constat. v. g. *ostendam*

illos cives, qui pro Patria certant, præmiandos esse; qui contra, expellendos. Hæc aliter vocatur *Partitio* seu *Divisio*.

Adverte, qui vult Allegoricam Propositionem habere, cui maximus usus in Genere Domonstrativo, debet sibi simplicem Propositionem facere in hac materia, de qua dicturus est: postea ab aliqua re insigni petita similitudine Allegorica, eandem acuminosè exornare, tàm in Confirmatione, quàm in Epilogo, totoq; Orationis tractu; inventa Allegorica similitudo simplici correspondeat Propositioni. Ut si aliquis laudaturus est sanctum Patronum aliquem per Propositionem Allegoricam; tunc talis Propositio debet omnino fundari in vita sancti, vel saltim in aliqua Parte vitæ. v. g. siquis *Divum* CASIMIRUM proponeret *Lilium*: tunc hujus propositionis haberet tale fundamentum. *Lilium inter flores Princeps est*; CASIMIRUS *inter Polonos Reges Ducē agit*, Liliū candorē *servat*, CASIMIRUS *innocentiæ vitæ effulget splendore. Lilium in hortis nascitur*, CASIMIRUS *in campo Sarmatico. Lilium ad æstus nimios languere videtur*: CASIMIRUS *ad Solis justitiæ obmoritur ardorem.* Tales verò Propositiones Allegoricas, qui vult formare, debet cosulere Authores, qui naturas & qualita-

litates rerum explicant & describunt.

Quomodò & undè per Artem sunt Propositiones petendæ? Loci Intrinseci & Extrinseci ut rationum ita & Propositionum titulorumq; ad Panegyres, quæ Principibus magnis viris adscribuntur, sedes ac domicilia sunt. Ex loco à Narratione fieri potest Propositio. v.g. *S. FLORIANUS Flos perpetuus S. BENEDICTUS, Orator pro domo Patriæ benè perorans. Sanctus STEPHANUS, Infantis DEI Corona. Nativitas Beatissimæ Virginis MARIÆ; natis est vita. Scapulare, pura scala &c.* Ex loco à Definitione. v.g. *Libertas; est Polonæ felicitatis anima.* vel est *thesaurus Heroum sangvine dives.* Vel est *monile pretiosum &c.* Ex loco à Divisione. v.g. *Libertas; est maximum senatûs ornamentum, Nobilitatis culmen, Heroum pretium, spes unica populo. &c.* Ex loco à Genere. v.g. *Virtus, est bonorum fons. Eloquentia, est animorum Princeps &c.* Ex loco à similitudine v.g. *Ut humani vultus notæ in speculo; ita in ferreo bellorum usu Martialiũ virorum clades & vulnera resplendent.* Ex loco hoc in laudem alicujus sancti, sivè magni alicujus viri dùm Propositio formatur, videndum est, ne sumatur similitudo ab aliquibus rebus infimis, sed semper sumi debet à rebus excellentibus & illustribus, ut à Sole, Luna, Cælo &c. Ab Aquila, Leone,

 cedro,

cedro, lauru gemmâ, flore &c. Ex loco ab Oppositis accipiendo vel rei, vel tempori, vel loco vel Personis adjunctum contrarium, fit Propositio. v.g. *Minorita Divus Franciscus est maximus &c.* Ex loco ab Adjunctis ut fiat acuminosa Propositio, considerari debent loci temporis & Personarum, Circumstantiæ seu Adjuncta, qualia sunt. Stemmata, insignia honorum, facta, Officia, dignitas &c. v.g. ex Circumstantia lilij quod tenet Sanctus CASIMIRVS, dici posset. *Flos liliatus in campo sarmatico CASIMIRVS.* Sanctus AVGVSTINVS tenens cor, vocari posset. *Cor mundi* Sanctus THOMAS Apostolus qui miserat digitum in Christi latus dici posset. *Nuntius de latere Christi.* Sanctus THOMAS Aquinas quod teneat calamũ. *Ammanuensis Divinus &c.* Ex circumstantia temporis æstivi. Sancta ANNA dici posset: *Æstas gratijs fervens.* vel *Ceres fruges beneficiorum ferens &c.* Ex Circumstantia loci v.g. Circuli Cracoviensis vel Arenarum dici posset. *Sanctissima Virgo est centrum gratiarum vel protectionis.* Amazon in Arenis *pro nobis decertans &c.* Ex loco à Repugnantibus. v.g. *maxima liberæ gentis jactura est, aurea spoliari libertate &c.* Ex loco à causis. v.g. *Literæ sunt decus & pretium Regnorum*

rum &c. Ex loco ab Effectis. v.g. *Pax est bellorum fructus. Serenitas est procellarum opus &c.* Ex loco à Comparatis. v.g. *Principes boni plus rebuspublicis præstant, quàm sol mundo &c.* Ex loco ab Eruditione & historia. v.g. *Divus THOMAS Aquinas, est Hercules monstra Ecclesiæ vincens. Sanctus STANISLAVS Casmiritanus, est Annibal Polonus. Sancta CATHARINA Camilla &c.* In ejusmodi veró Propositionibus formandis, ut vita & facta hujus qui assumitur ex eruditione respondeant vitæ & factis in toto vel saltim in potiori parte istius, qui laudatur; debet Orator videre. Ex loco à Paradoxo. v g. *vir justus laborando roboratur, quiescendo defatigatur. Lachryma, est mors peccati, peccatoru vita. Homini nihil nocentius homine. DEI beneficia impijs collata, supplicia sunt &c.* Ex Figuris quoq; illustrioribus ut Paronomasia, Antithesi &c. fieri Propositiones possunt. v.g. *Lachrymæ Infantu JESU sunt lætitia universi. Jejunium, est convivium esurientu animæ &c.*

Virtutes Propositionis sunt 3. Brevitas, Absolutio, & Paucitas.

Brevitas est, quæ facit, ut nullum membrum nisi necessarium in Propositione assumatur, ut Auditor rebus non verbis animum intendat.

Absolutio est, quæ facit ut ea tantũ Genera,

quæ

quæ in causam cadunt, & de quibus est dicendum, commodè comprehendantur.

Paucitas est, quæ efficit, ut Propositio non sit multiplex & vix aliquandò denarium numerum excedat, eoq; ordine puncta Propositionis ponantur, quo confirmanda sunt.

Vitia Propositionis sunt tria. *1mum.* quandò est obscura. *2dum* qūndò longa nimis. *3tium* quandò permixta genera Partibus habet.

Adverte Propositionem nunquam posse omitti, quia Pars Essentialis est; implicitè tamen poni potest, si inuidiam Orator movet. Ut facit Cicero Catil: 1mâ. In orationibus verò petitorijs, in Confirmatione potest confundi, ne Orator erubescere cogatur. Locus quoq; Propositioni non solùm ubi principalis Quæstio demonstratur, sed etiam aliquando ante singulas Orationis Partes, imò ante singula Argumenta poni potest. ut videre est in Oratione Maniliana.

CAPUT IV.

De Confirmatione Cofutatione & Epilogo.

CONFIRMATIO est rei ad dicendum propositæ argumentis & rationibus corro-

boratio. *Estq;* pro ratione Propositionis 2*plex*. Simplex & Conjuncta. *Simplex* est, in qua una tantùm simplicis Propositionis materia confirmatur *Conjuncta seu Composita* est, quæ in duas aut plures Partes dividitur. Utraq; petenda est ex locis tàm communibus, quàm proprijs, Intrinsecis & extrinsecis, de quibus, actum est Lib: 1mo.

Sciendum Confirmationem cæteris Orationis partibus esse nobiliorem; quia omnes Eloquentiæ nervos continet. Estq; veluti causa & vita totius Orationis.

Confirmatio à Confutatione differt eo, quia Confirmatio conducit ad probandum, Confutatio ad refellendum, illa argumentando causæ fidem facit, hæc adversariorum argumenta, quæ vel objecta sunt, vel obijci possunt, dissolvit, utraq; tamen ex eodem Inventionis fonte petitur.

CONFUTATIO est Argumentorum ab adversario allatorum solutio. *Seu* est reprehensio, qua adversariorum Confirmatio diluitur, infirmatur vel elevatur.

Loci seu modi refutandi Argumentorum sunt sex præcipuè: à Repugnantibus, ab Adjunctis, à Consequentibus, à negatione, à Contemptu, à Loco communi.

A Repugnantibus confutantur Argumenta,

cùm

cùm oſtenditur reus non eſſe his moribus, nec vita, nec illis motibus animi, ut ad hoc vel illud facinus debeat impelli. Cicero ex hoc loco abſolvit Roſcium crimine parricidij. Num: 39. *Patrem occidit Sextius Roſcius, qui homo, adoleſcentulus corruptus & ab hominibus nequam inductus, annis natus magis 40. Vetus videlicet ſicarius, homo audax & ſæpè cæde verſatus. At hoc, ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. &c.*

Ab Adjunctis confutantur Argumenta, cùm Circumſtantiæ perſonarum, rei, temporis, loci, modi adducuntur, & ex illis crimen fictum oſtenditur. Cicero probans nullã Cælio fuiſſe perficiendi ſceleris facultatem, hoc utitur loco pro Cæl: Num: 55. *Hæc eſt innocentiæ defenſio, hæc ipſius cauſæ oratio, hæc una vox veritatis. In crimine nulla ſuſpicio eſt. in re nihil eſt Argumenti, in negotio, quòd actum eſſe dicitur, nullum veſtigium, ſermonis, loci, temporis: nemo teſtis, nemo conſcius nominatur &c.*

A Conſequentibus confutantur Argumen- Cùm ex illis, quæ ſeqvuntur, crimen confictum eſſe oſtenditur. Cic: à Rege Dejotaro crimen inſidiarum per locum hunc removet Num: 16. *At credo hæc homo inconſultus & temerarius non videbat. Quis conſideratior illo? quis rectior? quis prudentior? quanquam in hoc loco Dejotarum non tàm ingeniô & prudentiâ,*

quàm

quàm fide & religione vitæ defendendum puto.

A Negatione confutantur argumenta, cùm crimen objectum penitus negatur, negata illius causa. Ut facit Cic: pro Quinctio Num: 36. *Negamus te bona Quint Sextij te Nævi possedisse ex edicto Prætoris. Ostendam primùm causam non fuisse, cur à Prætore postulares &c.*

A Contemptu infirmantur Argumenta, cùm ab adversario objecta vel contemnuntur, vel facetijs & jocis eleganter in adversarium retorquentur. Ut facit Cicero pro Cælio Num: 16. *Neq; verò illud me commovet, quod sibi in Lupercis Sodalem esse Cælium dixit. &c.*

A communi Loco confutantur Argumenta, cùm propter infirmitatem causæ excurrimus in locum communem, vel conquerendo de misera conditione temporum, vel deplorando commune bonorum omnium periculum. Ut Cicero facit pro Quinctio Num: 10. *Cum adhuc ei propter vim adversariorũ non jus par, non agendi potestas eadem, non Magistratus æqvus reperiri potuerit, cùm ei summam per injuriam omnia inimica atq; infesta fuerint. &c.*

Adverte Confutationem posse institui fermè per omnes locos illos, qui & Confirmationi serviunt, secundùm rei exigentiã & opportunitatem.

Figuræ adhibentur in Confutatione præcipuæ hæ.

Hypory-

Hypotyposis, qualis est in Pisonem Num: 56. *Subjectio*, qualis est pro Quinctio Num: 41. *Interrogatio* qualis est ibidem Num: 28. *Indignatio*, qualis est pro Dejotaro Num: 21. *Dij te perdant fugitive &c.*

Usus Confutationis potissimus est in Genere Judiciali, quia hic reus & adversarius, Accusator ac Defensor introducuntur, nihilominus etiam in Genere Demonstrativo & Deliberativo habet aliquandò locum. Ut patet ex Oratione Marcelliana Demonstrativa, & Maniliana Deliberativa.

Partes Confutationis sunt 4. Prothasis, Hypophora, Antiprothasis & Antipophora seu Lysis.

Prothasis, est accessus ad inferendam adversariorum objectionem. Ut Cic: Oratione L. Manil: Num: 51. *At enim vir clarissimus Regipublicæ & viris beneficijs amplissimis affectus* 2. *Catulus &c.*

Hypophora, est ipsius objectionis ab Adversario allatæ expositio. Ut eadem Orat: tione Num: 52. *Quid igitur ait Hortensius? si uni omnia tribuenda sunt, unum dignissimum esse Pompeium; sed ad unum tamen omnia deferri non oportere.*

Antiprothasis, est transitio ad solutionem objectionis ab adversario allatæ. Ut eadem

in

in Oratione. *Absolvit jam ista oratio, re multò magìs quàm verbis refutata.*

Antipophoria seu *Lysis*, est ipsius objectionis per aliquem refutationis modum ex superiùs enumeratis solutio. Ut in eadem Oratione solutio objectionis ab Hortensio allatæ affertur per Inversionem Num: 52. *Nam tu idem Q. Hortensi, multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi, & in Senatu contra virum fortem & Gabinium graviter, ornatèq; dixisti &c.*

Partes enumeratæ *sunt 2plices.* Principales & minùs Principales. *Principales* sunt Hypophora, & Antipophora, quia sinè illis nulla potest esse Confutatio. Non enim potest solvi, nisi quod objectum est, nec debet frustra proponi, quod non solvatur.

Minus Principales sunt, Prothasis & Antiprothasis, sinè illis enim potest esse Confutatio, & tantùm gratiâ ornatûs ponuntur.

Argumenta in Confutatione eô modô poni debent qvô in Confirmatione, cum hac tantùm distinctione, quia si aliquis accusatur, immediatè post Confirmationem Confutationi Locus assignatur. Si autem defenditur, Confutatio Confirmationi præmittetur vel utraq; simul permiscebitur.

Epilogus seu Conclusio seu Peroratio, est artifi-

ficiosus totius Orationis terminus. *Partes habet duas*: Enumerationem & Amplificationem.

Enumeratio seu *Recapitulatio* (quæ Græcis Anacæphaleos dicitur) est brevis potissimorum argumentorum repetitio, quò faciliùs memoriâ complectatur Auditor, quid tota Oratione dictum sit. *Estq; 2plex*: Unius Partis seu Argumenti, & totius Orationis. *Unius Partis* seu *Argumenti* est, in qua una Pars vel unum Argumentum repetitur.

Totius Orationis est, in qua summatim capita totius Orationis & series Argumentorum colligitur.

Virtutes Enumerationis sunt tres, Brevitas Venustas & Ordo. *Brevitas* consistit in hoc, ut ea nonnisi repetantur, in quibus vel maximè causa consistit. *Venustas* ut ea, quæ repetuntur, verbis selectis & sententijs efferantur. *Ordo in hoc spectatur* ut sine perturbatione, hac serie Argumenta recenseantur, qua dicta sunt. Maximè verò cæsim & membratim, nullas adhibendo conjunctiones in Peroratione Orator dicere debet, ut intelligatur jam properare ad finem. Qualî dictione utitur Cic: pro Cluent: Num: 200. *Quarè, si scelus audîstis, prohibete aditum matris à filij sangvine, date Parenti hunc incredibilem*

dolorem

dolorem ex ſalute ex victoria liberum &c.

Enumeratio ſeu Recapitulatio fit 4. potisſimùm modis, *imò. per Collationem*, quandò Orator rationes ſuas, quibûs uſus eſt in Confirmatione, cùm rationibus adverſatij confert. Ut Cic: Oratione 3. pro lege Agraria Num: 15. *Et quorum causâ ille hoc promulgavit, oſtendit, doceat ipſe num ego quem Poſſeſſorem defendam &c.*

2dò. per Contentionem, cùm Orator Argumenta illa, quæ vel à ſe vel ab adverſario dicta ſunt enumerat. Vt Cic: pro Roſcio Adverſariorũ ſcelerata facta repetit Num: 145. *Prædia mea poſſides: ego alienâ miſericordiâ vivo.*

3tiò. per Interrogationem, cùm ad ſuſcitandos in animis Auditorum affectus, aliquam interrogationem adhibet in Concluſione Orator. Vt Cic: pro Roſcio Num: 152. *An verò Judices vos non intelligitis &c. 4tò per Præteritionem* ne omnia Argumenta referre videatur Orator. Vt Cic: pro Cluent: Nu: 188. Mitto illam primam injuriam, mitto nefarias generi nuptias &c.

Amplificatio eſt gravior quædam affirmatio, per locum communem ad permovendos animos Auditorum inſtituta. *Amplificatio hæc* ab illa, de qua tractatum eſt in Proæmio, differt eo: quia illa ordinatur ad dilatandam

Orationem, hæc ad concitandos affectus, qui licèt in omnibus Orationis Partibus habent locum, potissima tamen eorum sedes est Conclusio, ubi Orator vehementiores imò vehementissimos tenetur adhibere affectus, quibus moveat animos Auditorum, vel ad amorem, ut in laudibus & exhortationibus, vel ad odium, & indignationem, ut in vituperationibus, dehortationibus & accusationibus, vel ad misericordiam ut, in defensionibus.

CAPUT V.

De Dispositione Argumentorum atq; Argumentationum.

DIspositio ARGVMENTORVM est, quæ docet argumenta inventa in debitū ordinem distribuere, ostendendo, quidnam Argumentô primo, quid ultimo sit collocandū. *seu* est idonea Argumentorum collocatio,

Estq; Duplex: Naturæ & Judicij.

Dispositio Argumentorum Naturæ est, quandò Argumenta priùs ex locis Intrinsecis; ex locis verò Assumptis posteriùs collocantur.

Dispositio Judicij est quādo Argumēta pro necessitate rei atq; opportunitate ex Oratoris Judicio disponuntur.

Opti-

Optima Argumentorum Diſpoſitio eſt illa, quæ *1mo* loco ponit Argumenta firma, *2do* mediocria, *3tio* firmiſſima. *Firmissima Argumenta ſunt, & non vulgare pondus habentia,* quæ ſumuntur ex Definitione, ex Genere, Cauſis, Effectis, Conſequentibus, Cõtrarijs, & Repugnantibus. Loci enim iſti naturã rei explicant. *Mediocria Argumenta ſunt,* quæ ſumuntur ex Adjunctis, Notatione, Conjugatis, & alijs locis, vel nomen explicantibus, vel rem amplificantibus tantùm. Quandò verò pauca ſunt rei alicujus Argumenta, tunc dilatari debent elocutione Oratoria, & amplificatione per varias ſententias, Figuras. &c.

Diſpoſitio ARGVMENTATIONVM eſt, Argumentorum per certas Argumentationum formas variatio. *Argumentatio verò Rhetorica.* eſt Argumenti in debitam formam diſpoſitio. *ſeu juxta Ciceronem* eſt Argumenti per Orationem explicatio. *Species ſeu Formæ Argumentationis Rhetoricæ numerantur hæ:* Forma Ciceronis Syllogiſtica ſeu Ratiocinationis dicta; Forma Enthymematica 5 partita ad Cajum Herennium, dicta Collectionis; Forma Hermogenis 4 partita, Enthymema; Forma Apthonij 8 partita; Inductio, Enumeratio, Subjectio, Inverſio, Epicherema,

Dilemma, Sorites, Exemplum & Violatio.

Forma Syllogistica seu *Ratiocinatio* est illa (à Cicerone in Partitionibus Oratorijs expressa) quæ Partibus 5. constat: Propositione, Ratione Propositionis, Assumptione, Ratione Assumptionis & Complexione.

Propositio (quæ Major Syllogismi dicitur) est id, quod ad probandum assumitur & ex quo omnis vis Argumentationis consurgit, v. g. *Tolle moras, nocuit semper differre paratis.*

Ratio Propositionis seu *Majoris* est, quæ id, quod propositum est, verum esse demõstrat. v.g. Superioris Propositionis Ratio est hæc: *Quia res omnis & facta momentis constant, moraq; iners primus est ad periculum gradus.*

Assumptio seu *minor Propositio* est, in qua id, ponitur, quod ad concludendũ subsumitur. v.g. *Sed quidam Imperator non tollit moras imò sæpius differt paratis.*

Ratio Assumptionis seu *Minoris*, quæ id, quod est assumptum, verum esse declarat. v.g. Superioris Assumptionis ratio est hæc: *Quia hic quidam Imperator semper cunctabundus, dubiusq; hæret, sæpiusq; indulget otio, quàm laboribus, Martisq; negotijs.*

Complexio est per quam id, quod conficitur ex Argumentatione breviter concluditur. v.g. ex superioribus sequitur talis

Con-

Conclusio. *Ergo quidam Imperator in sibi nocentia pericula incidit populumq; sibi creditum inducit.*

Adverte in hac Argumentationis forma non semper præscriptum eundem servari ordinem. Sed sæpè mutari, ita, ut aliquando prius Conclusio & Assumptio, aut alia Pars, quàm ipsa Propositio major tractetur: nec semper 5. Partes requiri, sed pro judicio & voluntate Oratoris, interdum unam & alteram posse omitti: vel etiam per has 5. Partes enumeratas potest Orator pro temporis & rei exigentia addere plures, quod esset tunc, si ponat rationes & *Expolitiones* varias ab authoritatibus, exemplis, similitudinibus &c. petitas.

Forma Enthymematica à Cicerone ad Cajum Herennium expressa seu *Collectio Rhetorica* est, quæ itidem constat: 5. Partibus Propositione, Ratione Propositionis, Rationis Ratione seu comprobatione, seu plurium Rationum Congerie, Expolitione seu Exornatione & Complexione.

Propositio est id, quod ad probandum assumitur. v.g. *Amicitia, quæ desinere potuit, verà nunquam fuit.*

Ratio Propositionis est, in qua probatur id, quod propositum est. v.g. *quia veræ amicitiæ immortales esse debent, & tam rebus secundis quàm adversis æquè constantes.*

Rationis Ratio eſt, in qua ponitur comprobatio ulterior Rationis. v.g. *quia amicus eſt animæ dimidium & cuſtos; anima autem immortalis eſt.*

Expolitio eſt, quæ exornandæ vel amplificandæ rei gratiâ adhibetur, unde illa petatur, ſive à ſimili, ſive à Teſtimonijs, ſive ab Exemplis &c. Sic in præſenti Expolitio ſumi poſſet ab exemplis indiſſolubilis amicitiæ, qualis fuerat inter Theſeum & Herculem; Alexandrum & Epheſtionem, Pyladem & Oreſtem, Damonem & Pythiam.

Complexio eſt, quæ breviter concludit prædictas Argumentationis Partes. v.g. *Ergo qui vult eſſe verus amicus, æterno amicitiæ vinculo jungatur.*

In hac quoq; Argumentationis Forma non ſemper omnes Partes ſervari, ſed aliquandò una vel plures poſſunt omitti. Sicq; jam in aliam vel 4. partitam, vel 3 partitam, vel bipartitam tranſiret Argumentationē.

Forma Hermogenis eſt, quæ 4. partibus conſtat. *1ma. Pars* dicitur. *Caput Argumentationis Propoſitio*, quæ eſt expoſitio rei ad probandum aſſumptæ ex locis cujuſvis generis. v.g.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

2da. Pars dicitur *Epicherema* ſeu *Robur*, ſeu *Firmamentum*, ſeu *Ratio*, per quam veritas Propoſitionis confirmatur. v.g. *Quia audaces*

DEVS-

DEVS & fortuna juvat, audentes animos ipsa volunt procul declinare pericula.

3tia. Pars est Ergasia seu *Expolitio*, in qua superiùs dicta amplificantur & illustrantur 4. potissimum ex locis. Contrario, Similitudine, Comparatione & Exemplis. Ergasia propositi exempli fieri posset ab Exemplo Heroum. v.g. Alexandri, Julij, Annibalis, Epaminondæ, Scipionis &c. quos multùm in bello audacia juvit.

4*ta Pars* Formæ Hermogenis *est Complexio*, quæ per comparationem oppositorum instituitur, atq; ex circumstantijs Expolitionis scilicet Personarum, causæ, rei, modi, temporis, loci deducitur. Allegatæ Argumentationis Complexio est à contrario. v.g. *quia timiditas multum obest. Ergo audacia multum prodesse debet.*

Enthymema est Syllogismus imperfectus constans Antecedente & consequente. v.g. *Pietas est virtus. Ergo est curanda.* Est autem *Enthymema 2plex*: Simplex & compositum. *Simplex* est, quo continetur una Propositio & una Ratio. v.g. *Studiosus est magnæ applicationis, Ergo illum insignis profectus manet.* *Compositum est*, quod plures propositiones rationesq; complectitur. v.g. *Studiosus virtutis & literarum est.* Ergo ex utroq; lauda-

bilis est. Ex Enthymemate quoq; facile fit alia forma, si illi Rationes vel Explicationes addantur plures.

Ex quibus locis potissimum Enthymema ducitur? Enthymema, apud Oratores est frequentissimo in usu, petiturq; ex his potissimũ locis. *1mò* ex loco Contrariorum. v.g. *Pax inhonesta cum Marco Antonio est Ergò bellum cum illo honestũ.* 2do ex loco Similium. v.g. *Improbus & negligens sibimet & alijs nocumento est. Ergo probus & diligens, & sibi & alijs utilis est.*

3tio à Correlativis. v.g. *Pater lætatur. Ergo & Filius lætari debet.* 4to. ex Loco Majorum & Minorum. v.g. *Majores nostri hanc legem observabant, ut jus legationis nunquam violaretur. Ergo & nos idem curare debemus.*

5. â Paribus. v g. *Quidam nefarius Latro pro scelere homicidij supplicium retulit. Ergò alter pro pari crimine sic puniendus est.* 6to à Definitione. v.g, *homo est animal rationale. Ergo rationari debet.* Ex alijs quoq; locis ut Præjudicatis Conjugatisq; potest Enthymema deduci. Utitur Cicero Enth: Phil: 5. Nu: 3. *Pacem vult Antonius arma ponat, roget deprecetur &c.*

Forma Apthonij (quæ aliter Chria dicitur) est, quæ constat 8. partibus. *1ma. est laudatio.* per modum Exordij, in qua laus Authoris propter factum vel dictum insti-

institui solet. 2da *Expositio* facti vel dicti. 3tia. *Ratio* seu *Causa*. 4ta. *Contrarium*, 5ta *Simile*. 6ta *Exemplum*. 7ma *Testimonium* seu *sententia*. 8va. *Conclusio*.

Estq́; 3*plex*: Verbalis, Activa, & Mixta. *Verbalis* est, in qua commemoratur aliquod dictum. *Activa* est, in qua aliquod factum. *Et Mixta* in qua utrumq́; commemoratur.

Inductio est quæ ex pluribus singularibus Propositionibus recensitis colliget tandem aliquid universale. v.g. *nullus Principum Imperij socium ferre potuit.* probatur Jnductione. *nec Romulus Fratrem Remum, nec Iulius Cæsar Pompeium; nec Octavius Augustus Marcum Antonium; nec Alexander Darium, nec alij plurimi ferre socios Regni sui potuerunt. Ergo nullus Principum Imperij socium ferre potest.* Vtitur inductione Cic: Pro Mil: Num: 20. Clodij mortem æquo animo nemo ferre potest. *Luget Senatus, mæret equester ordo &c.* Pòetis quoq́; Inductio, quàm sit in usu colligitur ex Ovidio lib: 4. tristium Elegia 3tia.

Materiamq́; tuis tristem virtutibus imple.
Ardua per præceps gloria vadit iter,
Hectora quis nosset. Felix si Troja fuisset. &c.

Enumeratio est Argumentatio in qua pluribus rebus sufficienter expositis & cæteris infirmatis una necessario confirmatur. *constatq́; 3bus Partibus.* Expo-

1. *Expositione*, in qua sufficienter causæ, quibus aliquid factum esse probatur, explicantur. v.g. *Si dicis eum ab hoc occisum, necesse est, aut metu, aut odio, aut spe alicujus commodi, aut alicujus amici gratiâ, eum occisum esse.*

2. *Infirmatione*, in qua Causæ in Expositione allatæ removentur. v.g. *Sed neq; odium, neq; metum, neq; spem commodi intercessisse, neq; ad amicorum aliquem mortem ejus pertinere, probare poteris,*

3. *Conclusione*, in qua una reliqua res, quam necessariò confirmari oportet, infertur. v.g. *Ergo relinquitur ab hoc non esse occisum.*

Subjectio est Argumentatio, in qua quæritur, de adversario, quodq; dici possit, contrarij in eum retorquetur. *Constat 3bus Partibus.*

1. Interrogatione. v.g. *unde iste tam opulentus factus est, qui parum antè fuerat pauper.*

2. Subjectione. v.g. *Patrimonium amplum relictum habuit, quod ex mercatura & quæstu maximo consecutus est, hoc tamen tantopere ditari non potuit.*

3. Complexione. v.g. *Ergo aut domi aurū sibi nascitur, aut unde non licet hæc pecunia conquiritur.* Vtitur subjectione Cicero pro Quinct: Num: 41. *Appellandi tempus non erat? at tecum anno plus vixit. &c.*

Inver-

Inversio est Argumentatio, in qua ex ratione adversariorum, non quod sibi volunt, sed quod Oratori utile est, sequendum esse demonstratur. *Constat 3bus Partibus.*

1. Propositione v.g. *Tenuioris conditionis Juvenes, non verò nobiles, operam navare debent literis.*

2 Ratione. v.g. *quia plurimas habent opes à Majoribus, quibus vitam nomenq́ suum sustentent, non verò literis fortunam quærant.*

3. Inversione Rationis. v.g. *imò quia plurimas habent opes à Majoribus relictas, literis operam navare debent, ut per illas easdem opes à Majoribus relictas, & in usum suum vertere discant, & conservare posteris.*

Epicherema est Argumentatio comprehensa una Propositione vim Ratiocinationis retinens. v.g. *Servus Dominum accusat,* per Infirmationem dici potest *Dominum sed Patriæ proditorem &c.*

Dilemma (quod aliter cornutus Syllogismus vocari solet) est Argumentatio, in qua utrumvis concesseris, reprehenditur. v.g. *Gabinium admonendum non censeo: vel enim bonus est, vel malus. Si bonus, non habet opus admonitione. Si malus, contemnet eam.* Dilemmate Cic: usus Philipp: 5. Num: 25. *Legatos decernitis, si ut deprecentur, contemnet, si ut imperetis non audiet.*

Sori-

Sorites est Argumentatio, quæ multa gradatim & acervatim involvit atq; complectitur argumentationes, & tandem tanquam quibusdam gradibus ad conclusionem accedit, in qua ex primo infertur ultimum. v.g. *Quid quid bonum est, id expetendum: quod expetendum est, id certe approbandum, quod approbandum id laudabile est. Ergo quod bonum est, laudabile.* Sorites exemplum habet Cic: pro Flacco Num: 44. *Si Prætor dedit ut est scriptum, à Quæstore numeravit. Quæstor à mensa publica: aut ex vectigali, aut ex tributo &c.*

Exemplum est Argumentatio, quæ rem singularem altera singulari eaq; vel pari vel dispari simili vel dissimili probat. *Constat 2bus Partibus* Prothasi & Apodosi. v.g. *Horatius populi Romani comitijs liberatus est, quod sua manu sororem interfectam esse fateretur. Ergo & Milo quod Claudium necaverit, eliberari potest.*

Violatio est Argumentatio, in qua Orator utitur rationibus adversariorum, contra eosdem ipsos. *Constat 3bus Partibus*. 1. Propositione. v.g. *non sunt legendi Poëtæ.* 2. Ratione. v.g. *quia demulcent legentis animum & alliciunt.* 3 Inversione. v.g. *imò ob id ipsum legendi, quia alliciunt animum & demulcent.* Violatione Cic: usus est pro Sylla. *Regium est dicere in quem velis. imò servitus est non dicere in quem*

quem velis, ac non defendere quem velis.

Aduerte *Ex enumeratis Argumentationum Formis* aliæ ſunt Generales, aliæ minùs Generales. *Generales 5. recenſentur*. Forma Syllogiſtica, Forma ad Cajum Herennium, Forma Hermogenis, Enthymema & Forma Apthonij. *Minùs Generales ſunt reliquæ 9*. Inductio, Inverſio &c. omnes verò pro arbitrio Oratoris & rei exigentia diſponi poſſunt vel naturali ordine ſeu directo, vel Artificiali ſeu inverſo. In prolixioribus præſertim Orationibus út defatigati Auditorū animi recreentur, ſpecies iſtæ Argumentationum variari debent: nec ſempèr Epicheremate vel Enthymemate, aut Forma 4 partita vel aliâ continuò utendū eſt Oratori. Variatio autem dum fit pro varietate Materiæ variæ, Tranſitiones debent adhiberi, quæ connectant Antecedens Argumentum per quamcunq; *formam* diſpoſitum conſequenti. Cic: tranſitionibus utitur. v. g. Philip: 2. Num: 20. *Sed non hujus temporis, ad majora veniamus*. Pro ſex: Num: 13. *Verùm hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes & reſpectantes relinquamus. Ad Tribunatum, quia ipſe ad ſeſe jam dudum vocat, & quodammodo abſorbet Orationem, contento ſpatio curſuq; veniamus &c.*

Sed jam ad 3tiam Rhetoricæ Partem. III. Libro explicandam progrediamur.

LIBER

LIBER III.

De Elocutione III. Parte Rhetoricæ.

Elocutio est, idoneorum verborum & ſententiarum ad res inventas & diſpoſitas accommodatio. Eſtq; *2plex*. Spontè fuſa, & Inverſa ſeu Commutata.

Sponte fuſa eſt, quæ trita loquendi conſvetudine funditur, ſine omni numero & compoſitione Oratoria.

Inverſa ſeu Commutata eſt, quæ verba aut Orationem in plura dilatat aut contrahit, ſive etiam orationis ordinem immutat & à communi dicendi ratione removetur.

Suntne idem Elocutio, Locutio & Eloquentia? Non ſunt; quia *Elocutio* eſt figurata & ornata. *Locutio* eſt ſine figuris & Tropis, communis unicuiq; lingvam vernaculam ſcienti.

Eloquentia verò eſt juxta omnes Rhetoricæ partes facultatis oratoriæ opus, Generibus dicendi accommodatum.

Quid eſt Genus dicendi. Eſt apta rebus & Perſonis orationis forma, Quod genus dicendi ab alijs vocatur ſpecies ſeu Forma, ab alijs character, ab alijs idea ab alijs ſtylus dicendi. Ariſtoteles verò Genera dicendi vocat virtutes orationis, Cicero lumina Orationis.

CAPUT I.

De Generibus dicendi.

GEnera dicendi ſunt 3. Humile, Medium, & Sublime.

Genus dicendi Humile (quod ab alijs infimũ, ſubtile, preſſum, acutum, gracile & attenuatum dicitur) eſt, quod conſtat verbis quotidiani ſermonis, ſententijs vulgaribus, & Figuris minoribus, cultis tamen & bene moratis, ne ſine viribus & nervis langvida appareat oratio. Hoc genere dicendi uſus eſt Virgilius in Georgicis & Bucolicis. Terentius, Plautus & Cicero in Epiſtolis Familiaribus. *Conſiſtit autem Genus hoc* in Brevitate & Perſpicuitate.

Brevitas hîc ſervabitur, ſi nudè ea tantùm, quæ ad rem pertinent explicentur.

Perſpicuitas ſervabitur, ſi una quæq; res de qua ſermo inſtituitur, ita exponatur, ut facilè intelligi poſſit.

Virtutes iſtius generis ſunt. 3. *1ma.* ut ſervet uſitatam & communem loquendi conſvetudinem: alias enim tranſiret in genus dicendi ſummum *vel* mediocre. *2da.* ut Figuras adhibeat mitiores compoſitionemq; habeat minus elaboratam, ubi tamen

men vitanda erit oratio arida & nimis jejuna. *3tia.* ut membra orationis sint inter se compacta, licetq; hic liberiores sint periodi & numeri, cavendum tamen, ne oratio sit tanquam scopæ dissolutæ.

Genus dicendi medium sivè mediocre sivè æquabile est, quod constat humiliori quidem quàm genus sublime, non infima tamen aut per vulgatissima verborum dignitate. Hoc genere dicendi usus est Cicero Agra: 2da pro lege Manilia, pro Marco Marcello, pro Cornelio Balbo &c. Consistit autem in verbis tàm proprijs, quàm translatis, modò sint posita & ad svavitatem accommodata, tum quoq; in sententijs, quæ jucundam & amabilem orationem reddant.

Virtutes Generis Medij sunt 4. 1ma ut æquabili feratur oratione, quæ neq; sit nimis abjecta & humi serpens, neq; tumida & nimis inflata. *2da.* ut contineat varia dicendi ornamenta, Tropos & schemata, tam verborum quàm sententiarum; exclusis tamèn vehementioribus Figuris, quæ soli duntaxat generi sublimi conveniunt. *3tia.* ut sit intertextum sententijs svavibus & locorum communium planis explicationibus. *4ta.* ut amplioribus & prolixioribus peri-

periodis feratur, propter majorem orationis elegantiam. Unde hoc in genere rarò cæsim & membratim est dicendum.

Vitia hujus Generis sunt 2. 1mum Si sit fluctuans & dissolutum, quod sine nervis & articulis, huc atq; illuc feratur. *2dum.* Si humilem dicendi formam fugiens, nimiùm assurgat, aut inflatum tumidumq; vitans stylum ultra modum demittat.

Genus dicendi sublime seu grave est, quod constat verborum gravium vario & non usitato contextu, sententiarumq; illustriũ ac selectarum frequenti usu. Consistitq; in verbis sonantioribus, sententijs, compositione, Periodis numeris & figuris.

Sententiæ hoc loco intelliguntur quælibet cogitationes orationi accõmodatæ, quæ ad vitam moresq; spectant hominum. Suntq; 3*plices*. Ethycæ, Didascalicæ & Patheticæ.

Ethycæ Sententiæ sunt, quæ ad mores hominum spectant, serviuntq; conciliandis auditorum animis.

Didascalicæ sunt, quæ rem exponunt probant & ad docendum Auditorem pertinent.

Patheticæ deniq; sunt, quibus affectus in Auditore excitantur, totæq; ad movendum referuntur.

Virtutes Generis Sublimis sunt 5. *1ma.* ut versetur circa res excellentes & personas graves. *2da.* ut sit instructum selectioribus gravioribusq; sententijs. *3tia* ut sit refertum verbis sonantioribus & gravioribus; de quibus actum in amplificatione verborum. *4ta* ut sit perpolitum Figuris illustribus, quæ redoleant quandam gravitatem. Qualis est Expolitio, Energia, Apostrophe, Epiphonema &c. *5ta.* ut constet periodis artificiosis ijsq; brevioribus, ubi multa erunt cæsim & membratim dicenda, ut tantò major orationis gravitas & acrimonia appareat.

Provenit hoc genus dicendi 3plex. ex 2plici fonte. *1mo.* ex 3plici rerum discrimine, quarum *aliæ* sunt graves & excellentes; *aliæ* leves & tenues. *aliæ* deniq; quæ inter excellentes & leves medium tenent locum, sicq; triplex constituunt dicendi genus. *2dò* profluit ex *3plici* officio Oratoris, quod est docere, delectare & movere. *1mum* ergo officium constituit genus dicendi humile, cujus munus est docere & probare. *2dum* constituit genus dicendi medium. cujus munus est delectare, *3tium.* deniq; constituit summum, cujus munus est movere.

Adverte Ex his 3bus dicendi generibus

totam

totam fere ſpectari eloquentiam. Is enim teſte Cic: verè eloquens eſt, qui humilia ſubtiliter, magna graviter, & mediocria moderatè dicere novit. In una autem oratione hæc tria Genera inveniri poſſunt: nam Exordio ſervit & accõmodatur genus Mediocre, Narrationi genus humile, Cõfirmationi & Confutationi plerumq; ſublime; in peroratione autem ſive Concluſione; ſemper adhiberi debet Genus dicendi vehemens ad excitandos graviores in animis auditorum motus.

Ad hæc Genera dicendi diverſitas & diviſio reducitur ſtyli; *qui alius* eſt Elogiaris, *alius* Ciceronianus, *alius* Laconicus, *alius* Senecianus *&* *alius* Lipſianus.

Stylus Elogiaris ſeu Elogium ſeu Elogiaſticus eſt quoddam Epigramma liberius, numero & quantitati Poëticæ minimè adſcriptum, *ſeu* eſt Oratio brevis & acuta factis & præruptis ſenſibus gaudens. *Dicitur verò Epigramma abuſivè* ideo, quòd nulla illius periodus vel comma ſine acumine & conceptu ſingulari debeat eſſe.

Stylus hic debet eſſe conciſus & paucisſimus, verbis profundos ſenſus complectens, ita ut Periodica circumductione ad ſummum abſolvi poſſit, & ſi aliquando Shi-

notenem admittat, tunc breviſſimis inciſis conſtare debet.

Objectum ejus ſunt res tam animatæ, quàm inanimatæ; plerumq; tamen Elogiari ſtylo ſcribuntur Panegyres Funebrales & Epitaphia.

Diſpoſitio hujus ſtyli eſt eadem, quæ ſolutarum orationum maximè per adjuncta Quis, quid, &c.

Virtutes hujus ſtyli ſunt, ſi commata præcipua habeant acumina, ſi verſus ita diſponantur, ut rarus ſit, qui totum à margine usq; ad marginem capiat locum, quos etiam tribus abſolvere vocibus licet, & in ſpatio unius lineæ ponere. Disjungũtur autem non tantùm periodi, ſed & commata tunc, quando occurrit vel nomen Perſonæ illius, quæ laudatur, vel honor, vel definitio notabilis, vel conceptus aliquis non vulgaris.

Vitia hujus ſtyli, ſunt leves phraſes & adjectiva minus rei competentia, niſi forte abſq; illis ſenſus exprimi non poſſit.

Ciceronianus ſtylus eſt, qui Figuris amplioribus, ornatu verborum ſolutiori, Periodis longioribus abundat. *Locus* illi eſt in Orationibus majoribus, Progymnaſmatibus, Narrationibus.

Laconicus eſt, qui membra & periodos breves & ſæpe commatibus diſtinctas obſervat. *Locus* illi eſt in orationibus ſalutatorijs, gratulatorijs &c.

Lipſianus ſtylus eſt, qui variarum ex Authoribus ſententiarum & fragmentorum ſerie concatenata gaudet. *Locus* illi in narrationibus, & præſertim in Epiſtolis, quæ fragmenta Pòëtarum, ſenſuſq; Authorum varios ſæpiſſimè habere ſolent.

Senecianus Stylus eſt, qui in ſenſus genericos cum aliqua morali inſtructione excurrit, ſenſibus magìs, quàm verbis utendo. Undè ſuperflua adjectiva, phraſes prolixiores hinc arcentur.

CAPUT II.

De Attributis Elocutionis.

ATtributa Elocutionis in quibus conſiſtit ſunt, quæ efficiunt, ut latinè, planè, ornatè, & ad id quodcunq; agitur aptè, congruenterq; dicatur. Suntq; 3. Elegantia, Compoſitio, & Dignitas

Elegantia eſt ſermo purus & congruus à præceptis grammaticis non diſcrepans, qui facit, ut unum quodq; verbum purè & apertè dicatur. *Conſiſtit in 2bus*: Latinitate & Perſpicuitate.

Latinitas est, quæ sermonem illum purum Ciceroni alijsq; scriptoribus Romanis usitatum conservat. *Vitia ejus* sunt 3. Barbarismus Barbaralexis & Solæcismus.

Barbarismus est verbum contra latinæ lingvæ præcepta vitiosè scriptū aut pronuntiatum. quod fit 4. modîs: abjectione, detractione, immutatione & transpositione vel literæ, vel syllabæ, vel temporis, vel toni, vel aspirationis; de quibus Grammatica Piotrowscij docet.

Barbaralexis est dictio aliqua barbara & peregrina v.g. Burgo Magister, pro Consule. Hocq; vitium prout & barbarismus fit in singulis verbis.

Solæcismus est grande latinæ constructionis vitium, quod fit immutatione generum, casuum, numerorum, Personarum, modorum, temporum, & aliorum accidentium. Committiturq; in duabus vel pluribus vocibus ineptè inter se, & contra constructionem grammaticam copulatis,

Perspicuitas est, quæ efficit orationem apertam & dilucidam. Comparatur *1mò.* verbis usitatis. *2dò.* proprijs ejus rei, de qua agitur. *Vitia.* Perspicuitatis sunt. 7.

Acyrologia, quæ utitur impropria verbi alicujus significatione. *v.g.* sperare dolorē,

pro

pro timere, promittere ruinam, pro minari.

Amphibologia, quæ ſenſum dubium efficit. *v.g.* ajo te Eacidam Romanos vincere poſſe, vel illud dicunt Virgilium vidiſſe Ciceronem.

Braccbilogia, quæ eſt brevior quàm oportet & nimis conciſa dictio.

Macrologia, quæ eſt longior quàm oporteat ſermo.

Tautalogia, quæ eſt ejuſdem verbi aut ſermonis immoderata repetitio.

Homonymia, quæ eſt, cum unum plura ſignificat, ſeu cum uno nomine plures vocantur res *v.g.* germanus, gallus, taurus &c.

Hyperbaton, quæ eſt ordinis permutatio.

Synchiſis, quæ eſt cùm ex omni parte ordo vocum perturbatur. *V g.* apud Horatiũ, *namq́; pila lippis inimicum eſt laudare crudis.* Ubi ordo talis fieri debet, laudere pila eſt inimicum lippis & crudis.

CAPUT III.

De Dignitate Tropisq; Dictionis.

DIgnitas eſt, quæ ornatam & varietate diſtinctam reddit orationem, *ſeu* eſt cõformatio quædam orationis conſtans verborum

borum & ſententiarum ornamentîs, quibus ſupra vulgarem dicendi conſvetudinem extollitur, efficiturq; jucunda, ſvavis, concinna, copioſa & illuſtris oratio. Conſiſtit in Tropis & Figuris.

Tropus eſt verbi vel Orationis à propria ſignificatione ad impropriam cum virtute, & venuſtate translatio. Deducitur enim à Græco vocabulo trepos, quod latinè ſignificat verto. Eſtq; *2plex*. Dictionis & Orationis.

Tropus Dictionis eſt, in quo uniùs tantùm verbi ſignificatio immutatur. *v.g.* Vulcano exuſtus eſt, id eſt igne.

Sunt autem Tropi Dictionis 8, Metaphora, Metonymia, Metalepſis, Synecdoche Antonomaſia, Catachreſis, Antiphraſis & Onomatopæia.

Metaphora ſeu Translatio eſt, cùm verbum à propria ſignificatione ad aliam impropriam, propter aliquam ſimilitudinem transfertur *v.g* flos juventutis, prata rident, literæ creſcunt. &c. Eſtq; *2plex*. Proxima & Remota.

Proxima eſt, cùm ad rem proximam fit deflexio & tranſitio in eodem genere *v.g. à ſenſu ad animum.*

Remota eſt, cùm ex uno genere fit trans-

latio

latio in aliud *v. g. ab animato ad inanimatum.*

Metaphora ex omni illa re, in qua potest elucere aliqua similitudo venusta ejus rei, de qua dicitur, sumi potest, idq́, dupliciter universaliter, & minùs universaliter.

Vniversaliter 4. modis. *1mò.* ab animatis ad animata. *v. g. Juventus floret, prata rident, homo homini lupus &c.*

2dò. ab inanimatis ad inanimata. *v.g. ferreum sæculum; virtutis luce nihil clarius &c.* *3tiò* ab animatis ad inanimata. *v. g. irascitur mare, terra, sitit, stylus floridus, cæca nox, sol oculus mundi &c.* Cicero quoq́; pro Marcello. *Parietes hujus Curiæ tibi gratias agere videntur.* *4tò*, ab inanimatis ad animata. *v.g. Sol Theologorum Aquinas, Columna Ecclesiæ, homo ferreus &c.*

Minùs Vniversaliter sumitur Metaphora 6. modis. *1mò.* à rebus Divinis ad homines. ut Virg:

Namq́ erit ille mihi semper DEVS, illius aram,
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Ubi Cæsarem Augustum DEUM appellat. *2dò à sensu* ad animum *v.g. à visu* videre, pro intelligere. *Ab auditu* audire, pro obtemperare, *Ab olfactu* malè olere, pro suspectũ esse, *à Gustu.* 1mis labris gustare literas, pro prima rudimenta literarum cognoscere. *à Tactu v.g.* sentit pro intelligit. *3tiò.* à

rebus

rebus Cælestibus ad sublunares. *v g. Saturnus pro iracundo, Mercurius pro facundo &c.* 4to. à metheoris ad varia *v g. duo fulmina belli Scipiadæ &c.* 5tò. ab Elementis ad res diversas. *v g. inflammatus irâ, flagrans desiderio, flumen eloquij.* 6to à rebus artificialibus. *v. g. structura orationis, orationem vivis depingere coloribus, pro Figuris & sententijs exornare.*

Adverte 3bus de causis inventas esse metaphoras, aliosq; Tropos & Figuras. 1mò. causâ necessitatis, cùm verbum deest proprium. hinc dicimus *vites gemmare, pavonem occulatum &c.* 2dò. majoris emphaseos & significationis gratiá. 3tiò. propter dignitatem & ornatum.

Tria quoq; in metaphora vitari debēt. 1mò. ne inepta verba rebus tribuātur. 2dò. ne sint duræ metaphoræ nimisquè remotæ. 3tiò. ne sint crebræ, nam Orationem obscurant.

Metonymia seu denominatio est, cum res una pro alia ponitur *v.g. nihil convenit Musis cum Marte, id est literis cum bello.* Fitq; Metonymia 10. modis. 1mò. cùm ponitur Inventor pro re inventa *v.g. Bacchus pro vino, Mars pro bello. Vulcanus pro igne, Ceres pro frugibus &c.*

2dò. Cùm ponitur Effectus pro causa, *vel è contra* causa pro effectu, *v g. pallida mors, idest pallidos efficiens, cæca ira; læta juventus. &c.*

3tiò.

3tiò. Cùm materia ponitur pro re confecta ex ea *v g. ferrum pro gladiò, aurum, argentum, æs pro pecunia &c. 4tò.* Cùm ponitur Continens pro re contenta *v g. Divitis in mensam sylvæ pelagiq; feruntur*, id est feræ & pisces. Cicero quoq; pro lege Manilia dicit: *Testis est Italia, testis est Sicilia, testis est Affrica, testis est Gallia*, idest *Itali Galli, &c. 5tò.* Cùm ponitur res contenta pro continente Ut Virg:

Crateras læti statuunt & vina coronant.

Id est vasa cum vino.

6tò. Cùm Dux accipitur pro exercitu. *v.g. cæsus Annibal*, idest *exercitus Annibalis, victor Scipio*, idest *exercitus scipionis vel è contra. 7mò.* Cùm signum accipitur pro re signata, *v.g. fasces & secures, pro Imperio, toga pro pace, sagū pro bello.* Cicero quoq; hinc dicit. *Cedant arma togæ, cedat laurea lingvæ.* Huc referuntur Insignia Regnorum, Principum, Provinciarum &c. *8vò.* Cùm adjuncta ponuntur pro subjecto *v. g. innocentia opprimitur, pro innocenti homine 9no* Cùm ponitur Possessor pro re possessa & è contra. Ut Virg: *jam proximus ardet Vcalegon*, id est *Vcalegontis domus. Annibal ad portas*, idest *milites ejus &c. Pro aris & focis pugnandum*, idest *pro DEO & populo. 10mò* Cùm ponitur author pro suo opere. *v.g. legit Lucanum, Senecam, Claudianum*, idest *scripta senecæ, Lucani, Claudiani, &c.*

Meta-

Metalepsis seu transumptio est, cùm gradatim itur ad illud, quod significatur. Ut *v.g.* est illud Virg:

Post aliquot mea Regna videns mirabor aristas.

Ubi per aristas messis, per messem æstas, per æstatem annus, intelligitur quasi post aliquot annos. In Psalmo quoq; dicitur. *Labores manuum tuarum manducabis*, idest *quod labore manuum tuarum acquires.* Tropus verò hic magis Pöetis quàm oratoribus in usu est.

Synecdoche seu intellectio est, cùm unum ex alio quomodocunq; intelligitur. Fitq; modis 8. *1mò.* Cùm ponitur pars pro toto, *v.g. puppis aut carina pro tota navi. Hincq; Horat:*

Nam tua res agitur paries dum proximus ardet.

2dò. Cùm totum ponitur pro Parte. Ut Virg: *fontemq; ignemq; ferebam*, idest *aliquam partem aquæ & ignis.* Idem dicit.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania tigrim.

3tiò. Cùm ponitur numerus singularis pro plurali. *v.g. hostis habet muros*, idest hostes. Hinc Luc:

Qui modò in absentem vultu dextraq; furebas

Miles. habes nudum promptumq; ad vulnera pectus.

4tò. Cùm numerus pluralis ponitur pro singulari. *v.g. adigit per pectora ferrum.* Ciceroq; hinc dicit. *o Stultos Camillos, Curios, Fabricios, Scipiones, Marcellos, Maximosq; &c.*

5tò.

5tò. Cùm species pro genere ponitur. *v. g. Eurus pro quovis vento. Irus & est subito qui modò Cræsus erat: pro paupere quovis. 6tò.* cùm Genus pro specie ponitur. *v. g. fera pro Leone, ales pro aquila.* Ovid: in Tristibus.

Magna minorq; feræ, quarum regit altera Grajos
Altera Sidonias, utraque sicca ratis.

Idest major & minor Ursa. *7mò.* Cùm cõsequentia pro antecedentibus usurpantur. *v. g. fumus pro igne, nox pro occasu, dies pro ortu.* Lucanus.

Sidera prima Poli Phæbo labente sub umbras.
Exierant, & Luna suas jam fecerat umbras

Id est vesper erat. Hinc & Virg:

Et jam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresq; cadunt altis de montibus umbræ.

8vo. Cùm antecedentia pro consequentibus ponuntur. *v. g. aurora pro die, vixerunt pro mortui sunt.* Virg:

Oceanum interea surgens aurora relinquit.

Idest dies cæperat esse.

Antonomasia seu pronominatio est, cùm aliquid non proprio, sed extraneo nomine significatur. Fitq; modis 6. *1mo.* Cùm nomen Proprium ponitur pro appellativo. *v. g. Aristides pro justo. Cato pro homine gravi morumq; censore, Cræsus pro Divite, Irus pro paupere, Curius pro frugali, Sardanapalus pro effæminato &c.*

2do.

2do. Cùm per excellentiam sumitur Nomen appellativum artis, officij, aut dignitatis pro nomine proprio. *v. g. Pòëta pro Homero vel pro Virgilio, Salvator pro Christo Domino, Orator aut Romanæ Eloquentiæ Parens, pro Cicerone Apostolus pro Divo Paulo &c.* *3tiò.* Cùm nomen Patronymicum usurpatur pro proprio. *v. g. Pellæus Juvenis pro Alexandro, Saturnius pro Jove, Lechiades pro Polonis &c.* *4tò.* Cùm nomen Possessivum aut Patrium ponitur pro proprio. *v g. Cytherea pro Venere, Cyllenius pro Mercurio, Anchisiades pro Ænea &c.* *5tò.* Cùm Nomen Generis aut nationis pro ejus adjuncto accipitur. *v. g. Pœnus pro perfido, Cretensis pro mendace, Sarmata pro indomito &c.*

6tò. Cùm ponitur definitio pro re definita. *v. g. facultas fluidè dicendi, pro Rhetorica.*

Catachresis seu abusio est, cùm verbo simili & propinquo pro certo & proprio abutitur Orator *v. g.* Patricida pro eo, qui Fratrem aut propinquum aliquem interfecit. Fitq; modis 4. *1mò.* Ethymologiâ seu notatione nominis aut verbi. *v. g. folia librorum*, quæ propria arborum sunt. *2dò.* Cùm adjectiva non propria substantivis tribuuntur. *v. g. minutus animus pro parvo, Vir magnus pro eo, qui virtute & ingenio præstat, oratio grandis, vires hominum breves &c.* *3tiò.* Cùm verba contra-

contrarium significantia junguntr, *v.g. discors concordia, insipiens sapientia, &c.* 4to. Cùm duriores Metaphoræ adhibentur *v.g. luxuriatur ager, mare inhorrescit &c.*
Differt Catachresis à Metaphora eo: quia *Metaphora* accommodat nomina aliena rebus, etiam propria nomina habentibus; *Catachresis* autem omnino proprijs nominibus carentibus.

Antiphrasis seu contralocutio est, cùm dictione rem contrariam significante utitur Orator, *v.g. bellum dicitur, quòd minimè sit bellū: Parcæ, quòd nemini parcant: lucus, quòd minimè luceat. &c.*

Onomatopœia seu fictio est, cùm aliqua dictione ficta utitur Orator, idq; *vel* imitandi, vel significandi gratiâ. *seu* cùm rei alicujus nomen, ad similitudinem vocis artificialis cum sono rei naturalis effingitur. *v.g. tara tantara pro clangore tubarum, bombarda pro tormento bellico. &c.*
Fitq; modis 3bûs: *1mo* deductione à moribus hominum, quos cæteri imitātur. *v.g. Platonizare, Patrizare, Ciceronizare &c.* *2do* deductione à proprietatibus animalium. *v.g. mugire, rugire, tinnire, crocitare. &c.* *3tio* deductione ab artibus. *v.g. Rhetoricari, Philosophari. &c.*

CAPUT IV.

De Tropis Orationis.

TRopus *Orationis* est, cùm plurimorum verborum *seu* totius sententiæ significatio immutatur. Virg:

Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

Sunt autem 4. Allegoria, Ironia, Hyperbole & Periphrasis.

Allegoria seu Inversio seu Immutatio est, cùm aliud verbis dicitur, aliud sensu intelligitur. Estq; triplex: Pura, Mixta & Composita.

Allegoria Pura est, cùm tota Oratio seu periodus allegoricè exponitur nullô verbô ex sensu simplici assumptô. Ut apud Horat:

O navis! referent in mare te novi
Fluctus, o quid agis? fortiter occupa
Portum, nonne vides, ut
Nudum remigiô latus.

Hîc nullô admixtô verbô ex sensu simplici, res tota allegoricè proponitur, ubi per navem Rempublicam, per fluctus bella Civilia ac seditiones, per portum internā pacem, per nudum latus remigiô, omnia subsidijs destituta intelligit Poëta. Persius. *tecum habita & noris, quàm sit tibi curta supellex*, ideſt: tibi ipsi attende.

Alle-

Allegoria Mixta est, cùm aliquid extra allegoriam nominis & verbi non translati accipitur, *seu* quando sensus allegoricus cum sensu simplici commiscetur & confunditur. Usitatissima hæc Oratoribus allegoria, cùm prior Poëtis potius deserviat. Quâ & Cic: in Pisonem Num: 20 utitur. *Neq; fui tam timidus, ut in maximis turbinibus ac fluctibus Reipublicæ navem gubernâssem, salvamq; in portu collocâssem, frontis tuæ nubeculam, aut Collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. alios ego vidi ventos, alias perspexi animô procellas, alijs impendentibûs tempestatibûs non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli.*

Allegoria Composita est, cùm aliqua in Prothasi similitudo allegorica ponitur, & tandem, in Apodosi hæcce allegorica similitudo cum sensu simplici miscetur Ut Cic: pro Mur: Num: 35. *Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuũ! quantas perturbationes & quantos æstus habet ratio comitiorum &c.*

Virtus præcipua allegoriæ est, ut si quis allegoricè loqui cœperit, ab allegoria statim non recedat, sed continuo tractu verba allegorica rebus simplicibus, aliquam tamen similitudinem ad ea habentibus accommodet; vitandus tamen crebrior alle-

goriæ uſus, ne nimis obſcura eſſe videatur oratio. *Species allegoriæ sunt 2.* Ænigma & Parœmia.

Ænigma eſt obſcura quædam allegoria, occulta rerum ſimilitudine adeò involuta, ut ſenſum illius, quibuſdam ſolummodo conjecturîs indagare neceſſe ſit Virg:

Mater me genuit, mox ex me gignitur ipſa,

Ubi intelligitur glacies ex aqua nata, & tandem in aquam reſoluta. Idem:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo;
Tres pateat Cæli ſpatium, non ampliùs ulnas.

Ubi intelligitur puteus.

Parœmia ſeu Adagium ſeu Proverbium, eſt, dictum aliquod celebre, ingenioſa quapiam novitate inſigne. v.g. *oleum & operam perdidit,* ideſt gratis & inaniter laboravit. *Ex arena funiculum nectit.* ideſt impoſſibilia conatur.

Ironia ſeu Irriſio ſeu Illuſio eſt, qua facetè illudimus adverſario, contrarium verbîs ab ipſa re indicando. Ut Cic: in Verrem.

Quid agis bone cuſtos defenſorq; provinciæ?

Formulæ, quibus Ironia effertur ſunt: ſcilicet, videlicet, verò, quaſi verò, credo, o. v.g. *O præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt lupum.* Eſtq; Ironia 2plex: *vel unius verbi.* v.g. de Vorace dicendo. *Abſtemius eſt, ſemel in die*

come-

comedit, ideſt, à mane usq; ad noctem. *vel plurium verborum*: cujus ſunt ſpecies 6. Sarcaſmos, Aſteiſmus, Diaſyrmus, Charientiſmos, Mictæriſmos, & Mimeſis.

Sarcaſmos eſt, amarus jocus, & hoſtilis irriſio. *v.g.* Cùm victor victo inſultat. Ut apud Virg: victor Turnus Trojanis inſultat:

En agros, & quàm bellò Trojane petiſti.
Heſperiam metire jacens.

Aſteiſmus eſt, Urbanus quidam & facetus jocus, longius petitus. *v.g.* Virg: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi*, ideſt qui amat Bavium malum Pòëtam, etiàm Mævium illô pejorem amare poteſt. In ejus modi jocis præcipuus eſt Martialis. Sic ille ad coſmicum, qui cæcū oculô unô emerat mulū.

Mulum Quinctus emit, ſed cæcum Coſmice mulum:
Vnum oculum mulus, non habet ille duos.

Diaſyrmus eſt, irriſio, per quam ea, quæ ab adverſario dicuntur, ludentes abſolvimus. Ut Cic: pro Mur: *Tu caves, ne tui Conſultores, ille ne Vrbes, aut caſtra capiantur. &c.*

Charientiſmos eſt, cùm dura gratioſis verbis molliuntur. v.g. *bona verba quæſo, vel ominare meliora*, aut *dent meliora Dij. &c.*

Micteriſmos eſt, cùm nasô ſuſpensô deridemus ac faſtidimus aliquid. Quod Perſius vocat, naſo ſuſpendere adunco, hoc magis

in gestu; quàm verbis consistit.

Mimesis est, cùm alterius gestum aut verba imitamur. Ut Teren: *heus tu, quis tu es? quis mihi es, proximus sum egomet mihi*. vel ut Horat: Epis: 1ma.

O Cives, Cives quærenda pecunia primum est, virtus post nummos.

Ad Mimesim referuntur apologi & fabulæ Pòëtarum, quarum interpretatio mythologia dicitur.

Hyperbole seu superlatio, est Oratio superans veritatem augendæ vel minuendæ alicujus rei gratiâ. Vt Lucanus.

Ocyor & Cæli flammis & Tigride fertur.

Cic: quoq; Antonij prodigalitatem Hyperbolicè auget. Philipp: 2. Num: 67. *Quæ Charybdis tàm vorax? charybdim dico, oceanus medius fidius vix videtur, tot res tam dissipatas, tam distantibus locis positas, tam citò absorbere potuisse, quam Antonius.* Sumitur Hyperbole ex his potissimùm 8. fontibus. *imo* à rebus ipsis, cùm res pro persona usurpatur. v.g. *ille scelus, pestis carcer*, pro *scelesto pestilenti & carcere digno* vel *non est scelestus, sed ipsum scelus, ipsâ justitiâ justior. &c. 2do* à rebus similibus. *v.g. melle dulcior, nive candidior felle amarior.* 3tio ab animantibus *v.g. Limace tardior, lepore timidior, leone immanior &c.* 4tò. à personis falsorum

Deorum. v.g. *Apolline doctior, Mercurio facundior, Protheo mutabilior &c.* 5to. à personis fabulosis v.g. *Cyclope immanior, Nestore Eloquentior, Paride vel Helena pulchrior, Hercule fortior &c.* 6to. à Personis Comediarum. v.g. *Davô versutior, Trazone gloriosior.* 7mò. à personis historiarum. v.g. *Catone severior, Fabiô cunctatior, Socrate patientior, Cymone liberalior &c.* 8vò. à moribus Gentium Nationumq; v.g. *Sybaritis mollior, Cretense mendacior, Scythâ crudelior &c.* Res ijsdem quoq; minuitur modis. v.g. Vox ossibus hæret. &c. Tropus hic præcipuè Poëtis usui maximo est. Hinc Claud: equitantem Honorium describit.

Vtque tuis sonipes primùm calcaribus arsit.
Ignescunt patulæ nares, non sentit habenas
Vngula discussæq; jubæ sparguntur in armos. &c.

Periphrasis seu Circumlocutio est, cùm id pluribus verbis effertur, quod unô vel paucioribûs efferri potuit. v.g. *generis humani assertor & Vindex* idest, Christus Dominus. *Poloni Imperij Conditor*, idest Lechus. Ovidius quoq, hæc verba, *multa mala pertulit*, periphrasticè explcat

Quot frutices sylvæ; quot flavas Tigris arenas;
Millia quot Martis gramina campus habet,
Tot mala pertulimus.

Fitq; Periphrasis modis 4. 1mò. per Etymolo-

mologiam, cum scilicet. ratio Nominis explicatur. v.g. *facultas adinstar torrentis fluida*, pro Rhetorica, *amor studiumq; sapientiæ*, pro Philosophia. *2do.* per Definitioné rei, quãdo scilicet, quid sit res explicatur. v.g. *legum aut Civium oppressor*, pro tyranno, *Regnator in alto*, pro Rege. *3tio.* per descriptionem, quando res ex effectis, signis & similibus circumstantijs &c. describitur. Ut Cic: post Reditum in Senatu describit Gabiniũ. *Processit quâ authoritate Vir? vini somniq; plenus, madente coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce & temulenta.*

4to. Cùm propria facta, aut simile aliquid loco nominis ponitur. v.g. *Domitor monstrorum*, pro Hercule, *Princeps Scholæ Peripateticæ*, pro Aristotele &c.

Differt Periphrasis ab Antonomasia eo: quia in hac vox simplex pro simplici ponitur. ut Orator pro Cicerone In *Periphrasi* autem vox una pluribûs verbîs circumscribitur v.g. *Doctor Gentium*, pro Divo Paulo &c. Nec verò negari potest, sæpius Tropos plures in unum convenire posse, quorum tamen distinctio penes diversitatem respectus debet spectari. v.g. exemplum hoc Virg:

Et jam summa procul villarum culmina fumant.

Majo-

Majoresq; cadunt altis de montibus umbræ.
Id est vesper fit. & habet Synecdochen simul Periphrasim, sed penes diversum respectum.

CAPUT V.
De Figuris.

Figura seu Exornatio, est quædam arte renovata dicendi forma, seu ratio. *seu* est lumen quoddam orationis, quô supra quotidianum sermonem illustratur Oratio. à Græcis Figura dicitur Schema, idest ornatus seu habitus, qui orationi venustatem & ornamentum confert.

A Tropo differt Figura eo: quia Tropus non videtur animare Orationem, sed tantùm exornare. Præterea quia Tropus fit in translatis verbis alienisq;: Figura verò in suis atq; sibi proprijs; frequenter tamen accidere potest & Tropum & Figuram simul convenire. v.g. Floret, etiam num floret juventus.

Suntq; Figuræ *3plices*: Verborum, Sententiarum & Amplificationum.

Figuræ seu schemata Verborum, sunt conformationes dictionis ad orationis venustatem accõmodatæ, *seu* quæ conficiuntur ex dictionibus.

Sunt'q; 3plices: per additionem, per detractionem & per similitudinem.

Figuræ Verborũ per additionem sunt hæ:

1. *Anaphora seu Repetitio est*, cùm eadem vox initio plurium commatum, membrorum aut Periodorum iteratur. Cic: Catil: 1mâ, Num: 1. *Nihil ne te nocturnum præsidiũ Palatij, nihil Vrbis vigiliæ? nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium? nihil hic munitissimus habendi senatus locus? nihil horum ora vultusq́; moverunt.*

2. *Antistrophe seu Conversio*, est priori contraria, cùm scilicet eadem voce plura commata vel membra clauduntur. Cic: in Vatinium: Num; 37. *quarè cùm ego legem de ambitu tulerim, ex Senatus consulto tulerim, sine vi tulerim, salvis auspicijs tulerim, salva lege Ælia & Tusia, tu eam esse non putes legem.*

3 *Epanalepsis seu conduplicatio* est, cùm eadẽ dictione & inchoatur & clauditur sententia. Cic: pro Sextio Num: 6. *ademit Albino soceri Nomen, mors Filiæ. sed charitatem illius necessitudinis & benevolentiam non ademit.* Virg:

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa

4. *Epizeuxis seu Geminatio* est, cùm eadem vox cum impetu pronunciationis, sive continenter, sive separatim repetitur.

Cic:

Cic: pro Lig: Num: 15. *Dicam planè Cæsar, quod sentio, si in hac tanta tua fortuna, lenitas tanta non esset, acerbissimo luctu redundaret ista victoria.*

5. *Symploce seu Complexio* est, cùm eadem vox in principio, & alia eadem in fine commatum repetitur, continetq; in se Anaphoram cum Antistrophe simul. Cic: pro Mil: Num: 40. *Quis eos postulavit? Appius, quis produxit? Appius, Unde? ab Appio.*

6. *Polyptoton seu Traductio* est, cùm eadem verba sæpiùs immutata repetuntur, mutatis generibus vel numero, *ut in nomine*; aut mutato modo, tempore, persona, numero, *ut in verbo*. Cic: de Charusp: N. 38. *Tibi verò, si diligenter attenderis, intelliges hominum pœnas deesse adhuc, non Deorum, Homines te in re fœdissima defenderunt. homines turpissimum nocentissimumq; laudaverunt: hominibus injuria tui sceleris illata in ipsos dolori non fuit &c.* Idem pro Archia. Num: 14. Sed *pleni sunt omnes libri, plenæ Sapientum voces, plena exemplorum vetustas.*

7. *Anadiplosis seu Reduplicatio est*, cùm ultima dictio præcedentis commatis aut membri in principio sequentis repetitur. Ut Cic: Catil: 1. Num: 2. *Hic tamen vivit, vivit? imò verò etiam in Senatum venit.*

Dis-

Differt ab Epanalepsi eo: quia in ~~Epa-~~ [Ana] ~~nalepsi~~ [diplosi] ubiq; potest geminari dictio; in ~~Anadiplosi~~ [Epanalepsi] autem, tantùm in principio & in fine. *v.g. crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.*

8. Antanaclassis *seu Reverberatio est*, cùm idem verbum diversum in se habens sensum cum venustate quadam, modò in hac re, modò in altera ponitur. *v.g. bonum est à Principe amari, si nihil insit amari.* vel *Cur eam rem tam studiosè curas, quæ multas tibi debet curas*, *vel Tantum malum attulit malus.* Hinc est illud:

Quid facies, facies, veneris, cùm veneris ante,
Ne sedeas sed eas, ne pereas per eas.

9. Antistasis seu Oppositio est, cùm idem verbum in contrario sensu repetitur. *v.g. Quis ignorat ejusmodi servos, non esse servos.*

10. *Polysyntheton seu multicopula* est, cùm pluribus conjunctionibus abundat sermo. *v.g. Tu neq; exempla majorum, neq; leges, neq; authoritatem senatus, neq; religiones, neq; auspiciorum jura publica servâsti.*

11. *Paralepsis seu Præteritio* est, cùm dicimus nos tacere id, aut præterire, quod vel maximè dicimus Ut Cic: pro Mil: Num: 60. *Non dico hôc locô majores nostros semper, in pace consvetudini, in bello utilitati paruisse &c.*

12. *Epa-*

12. *Epanorthosis seu Correctio* est, quæ sententiam aut verbum corrigit, & veluti magis idoneum aliquid subijcit. Ut Cic: pro Lig: Num: 26. *Quæ fuit igitur in ullo homine tanta constantia? constantiam dico; nescio an meliùs patientiam possem dicere.*

13. *Hypozeuxis seu subjunctio* est, cùm singulis verbis sententijsq; singula verba junguntur. Ut Virg:

Procumbunt pinus sonat icta securibus ilex
Fraxineæq; trabes cuneis & fissile robur
Scinditur & volvunt ingentes montibus Ornos.

14. *Schesisonomaton seu Epiteton* est, cum singulis substantivis, singula adjectiva annectuntur. v.g. *Hunc modestissimum adolescentem, Provinciæ sacratissimum Custodem, nostrum fortissimū Ducem cognoverunt.*

Figuræ verborum per Detractionē sunt 6.

1. *Ecclipsis seu Privatio* est, in qua subtractum verbum aliquod ex cæteris intelligitur, & ad plenitudinem sensus desideratur. Cic: *Ego, si Tyro ad me* (venerit,) *cogito in Tusculanum* (proficisci.)

2. *Zeugma seu adjunctio seu Ligatio* est, cùm plures sensus unô verbô copulantur, sivè illud sit medium, sivè ultimum, sivè primum. Virg:

Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi,

Qui

Qui Tripodas Clarij lauros, qui sidera sentis.

3. *Asyntheton sive dissolutio* est, cùm demptis conjunctionibus dissolutè multa dicuntur. Ut Cicero pro Archia Num: 16. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant &c.

4. *Dialiton seu disjunctio* est, cùm eorum, de quibus dicitur, unum quodq; certo quodam verbo clauditur. Ut Virg:

Ferte citi flammas date tela & scandite muros.

Elegans omnino disjunctio est, cùm præcedentibus priùs ac seorsivè Nominibus totidem annexa verba respondent. Ut Cic: *Arte, viris, tenore, periculoq; mortis repulerit, fugaverit, averterit*; vel verbis nomina ut in hoc disticho.

Hæc domus odit, amat, punit, conservat, honorat
Nequitiem, pacem, crimina, jura, probos.

5. *Analyton sive articulus* est, cùm singula verba, aut nomina, aut adverbia intervallis quibusdam cæsa oratione distingvuntur. Cic: Catil: *Nihil cogitant, nisi cædem, nisi incendia, nisi rapinas: patrimonia sua profunderunt, fortunas abligurierunt.*

6. *Isocolon seu membrum* est, cùm Oratio æqualibus fere membris constat. v.g. *Illi fortuna dedit felicitatem, huic industria virtutem comparavit. Illum respectus ad culmen honoris evexit, hunc sola merita promoverunt.* Figu-

Figuræ Verborum per Similitudinem sunt 4.

1. *Paronomasia seu Annominatio.* est, cùm literis paululùm immutatis similitudine quadam, vocem in aliam significationem detorquemus.

Fitq; potissimum 4. modis.

1mò Detractione literarum. *v.g. Sacerdotium non est otium, non Homero sed mero dat operam.*

O fortunatam natam me Consule Romam.

2dò. Adjectione literæ vel syllabæ. Ut Cic: pro Cluent: *Vestri auxilij est Judices, sic in calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosa flamma, atq; in communi incendio subvenire.* Emanuel *virtus in exemplum posita, micat, dum dimicat.* Hinc quidam Pòéta dixit:

Sunt oculi scopuli titulo peiore notandi,
Heu quibus allisæ tot periere rates.

3tiò. Immutatione literæ vel syllabæ. Ut Cic: Catil: 1. Num: 9, *Hîc hîc sunt in nostro numero, qui de hujus Urbis, atq; adeò Orbis terrarum exitio cogitant.* Emanuel. *ille oculos luctu, hic laudibus fauces attrivit & antiquam animam alter efflevit alter efflavit.*

4tò. Translatione literæ vel syllabæ primæ mediæ vel extremæ. Cic: 1. ad Att: Epist: 10. *Consul ipse parvo animo & pravo.* Idem Phil: 3. Num: 22. *En cur Magister ejus*

ex aratore Orator factus. Emanuel *dum fluminum vires pavet ad fulminum sedem accedit.* Huc Anagrammatismi spectant, & Retrograda Quale est illud dæmonis:

Signate signa temere me tangis & angis.
Roma tibi subitò, motibus ibit amor.

In Paronomasia hoc præcipuum est, ut voces quæ literis & syllabis aliquô modò sunt sibi similes, omninò diversam habeant significationem, alias puerilis & sine ratione Paronomasia esset.

2. *Homæoptoton seu similiter Cadens* est, cùm casus similibus syllabis terminantur. Cic: pro Rosc: Num: 72. *Quid tam commune, quàm Spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus erectis.*

3. *Homæoteleuton seu similiter Desinens* est, cùm verba simili exitu terminantur. Ut Cic: Philip: 4. Num: 13. *Hac majores nostri primùm Universam Italiam devicerunt, deinde Carthaginem exciderunt, Numantiam everterunt, potentissimos Reges, bellicosissimas Gentes in ditionem hujus Imperij redegerunt.*

Aliquando istæ ambæ Figuræ simul concurrere solent. Cic: pro Marcel: N. 8. *Animum vincere, iracundiam temperare, victoriam continere &c.*

4. Analysis seu Commutatio est, cùm una senten-

sententia nascitur ex altera sibi contraria. Cic: 3. de Legibus. *Vere dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum.* In Evang: *Qui se exaltat humiliabitur, qui se humiliat exaltabitur.*

CAPUT VI.
De Figuris Sententiarum.

Figuræ Sententiarum sunt, quæ non in verbis, sed in rebus ipsis habent dignitatem & ornatè affectus animorum, exprimunt, aut res eleganter augent. Suntq; 10.

1. *Anacœnosis seu Communicatio* est, cùm causæ nostræ confidentes, aut ipsos adversarios consulimus, aut cum Judicibus vel Auditoribus, quid faciendum sit deliberamus. Cic: actione 2da in Verrem, Num: 32. *Nunc ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis &c.*

2. *Anthypophora seu Compensatio* est, cùm ipsi nostræ interrogationi respondemus. Cic: Verr: 6. Num: 27. *At quomodo abjecit, non possum dicere planius &c.*

3. *Aposiopesis seu Præcisio, seu Reticentia* est, cùm intra nos supprimimus ea, quæ dicere videmur, quòd aut turpia, aut odiosa, aut alioquin nobis dictu gravia sunt. Vir:

Quos ego! sed motos præstat componere fluctus.

4. *Apostrophe seu Conversio* est, cùm sermonē convertimus ad aliquem sivè præsentem, sivè absentem, idq; aut ad Deum aut ad hominem, aut ad quampiam rem, sivè animatam, sivè inanimatam, quam tanquam personam compellamus. Ut Cic: pro domo sua Num: 104. *O Dÿ Immortales! (vos enim hæc audire cupio) Publius Clodius vestra sacra curat? vestrum Numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat &c.*

5. *Aporia seu Dubitatio* est, cùm dubitare nos & quid dicendum, faciendumvè sit nescire significamus. Cic: pro Quin: Num: 57. *Quid ergo est? vereor, me Hercule ne aut gravioribûs utar verbis, quàm natura fert, aut levioribus, quàm causa postulat*

6. *Aria seu Execratio* est, cùm aliquem meritò abominans Orator, ei malum imprecatur. Cic: pro Dejot: Num: 21. *Dij te perdant fugitive &c.*

7. *Aganactesis seu Indignatio* est, cùm animi commoti indignationem significamus, idq; affectu, gestu aut pronunciatione. Cic: Catil: 1. Num: 1. *Quousq; tandem abutere Catilina patientia nostrâ &c.*

8. Adi-

8. Adinaton seu Impoßibile est, cum aliquid non posse fieri ostenditur. Claud:

Non, mihi centenis resonent, si vocibus ora,
Multifidusq; ruat centum per pectora Phœbus
Facta Probi narrare queam &c.

9. *Diesis seu Obsecratio* est, cùm aut DEI aut hominis auxilium, suo vel alterius nomine implorat Orator. Cic: pro Quin: Num: 97. *Nævij lachrymans manum apprehendit: obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis &c.*

10. *Epitrope seu Permißio* est, cùm causæ bonitate freti Judicibus aut adversarijs, quod placuerit, statuendi facultatem cõcedimus. Cic: Verr: 3. Num: 13. *Confingat iste sanè vi sua consilia senatoria, quæstiones omnes perrumpat, evolet ex nostra severitate &c.*

11. *Erotbesis seu Interrogatio* est, quâ non simpliciter quærimus sciendi causam, sed vel instamus, vel asserimus, vel indignamur, vel admiramur, vel deniq; dubitamus interrogando. Cic: Philip: 2. Num: 68. *O audaciam immanem; tu ingredi illam domum ausus es &c.* Admirationis Interrogationem habet. Virg:

- - Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames? *Dubitationis, v.g.* Quô me

vertam, quò tendam, quid faciam.

Miserationis Idem Virg:

Heu quæ nunc tellus inquit, quæ me æquora possunt.

12. *Erothema seu Ratiocinatio* est, cùm Orator rationem poscit, quare quidpiam dicat, & crebrò à se petit unius cujusq; Propositionis explanationem. Cic: pro Sextio. *Si spoliorum causa vis occidere hominem, spoliasti: quid quæris amplius, si inimicitiarum, quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo: cujus ante prædia possedisti, quam ipsum nosti &c.*

13. *Equonesis seu Exclamatio* est, Orationis elevatio, atq; contentio, quæ motum vehementem excitat, & rei magnitudinem exprimit, motum misericordiæ excitat. Cic: pro Sylla Num: 61. *O miserum & infelicem diem illum, quô Consul omnibus centurijs Publius Sylla renunciatus est, ô falsam spem ô volucrem fortunam! ô cæcam cupiditatem! ô præposteram gratulationem! quàm citò illa omnia ex lætitia & voluptate, ad luctum & lachrymas reciderunt.*

14. *Emphasis seu verbi amplificatio* est, cùm ex aliquo dicto quidpiam latens eruitur, seu cùm plus significatur, quàm dicitur. Virg: *- - jacuitq; per antrum - - immensum.* Ubi intelligitur corporis magnitudo.

15. Gno-

15. *Gnomi seu Sententia* est, generale quoddam pronuntiatum, quod breviter ostendit, quid fiat vel fieri soleat, quid expeti, vel vitari oporteat. Cic: pro Archia. *Trahimur omnes laudis studiô, & optimus quisq; maximè gloriâ ducitur.*

16. Prolepsis seu præoccupatio est, cùm, quod suspicatur objectum iri ab adversario, præsumit Orator atq; refellit. Cic: Verr: 7. Num: 2. *Quid agam Judices? quo accusationis meæ rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam boni nomen Imperatoris opponitur. Novi locum, &c.*

17. Parrhisia seu Licentia est, cùm aliqua liberiùs dicuntur, sivè commune faciendi, sivè objurgandi causâ. Cic: Philip: 10. Num: 8. *Vos P. C. grave dictu est, sed dicendum tamen, vos inquam Servium sulpitium vitâ privastis &c.*

18. Paradoxon seu Inopinatum est, cùm suspensis animis Auditorum, præter spem & expectationem omnium, aliquid subjungit *Orator*. Ut Cic: Philipp: 2. Nu: 2. *An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium esse &c.*

CAPUT VII.

De Figuris Amplificationum.

Figuræ seu Schemata Amplificationum sunt, quæ non ad ornandam solùm Orationem, sed etiam ad augendam & amplificandam subserviunt, habentq; Locos seu Fontes, ex quibus oriuntur, 7. Definitionem, Divisionem, Causam, Contraria, Similia, Genus, & Adjuncta.

Figuræ ex Loco Definitionis sunt 5.

1. *Auxesis seu Incrementum* est, cùm quasi per gradus crescit Oratio, & ad summum quodammodo pervenit. Cic: pro Quin: Num: 95. *Miserum est exturbari fortunis omnibus; miseriùs est injuriâ: acerbum est ab aliquo circumveniri, acerbius est à propinquo: calamitosum est bonis everti, calamitosiùs cum dedecore: indignum est à pari vinci aut superiore, indigniùs est ab inferiore: luctuosum est tradi cum bonis, luctuosius inimico.*

2. *Tapinosis seu Diminutio* est, cùm rei extenuandæ gratiâ verbum levius pro graviori ponitur. v.g. *affabilis, pro adulatore, liberalis, pro prodigo, pusio, pro brevi homine. &c.*

3. *Synonymia seu Interpretatio* est, cùm multa verba, aut membra idem significantia, aut in aliquo tantùm diversum, conjungun-

junguntur. Cic: Catil 2. Num: 1. *Tandem aliquando Catilinam furentem audaciâ, scelus anhelantem, pestem Patriæ nefariè molientem, ex Urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem Urbe prosecuti sumus, abijt, excessit, evasit, erupit.*

4. *Ergasia seu Expolitio* est, quæ eandem rem pluribûs sententijs commutatîs, tam diu explorat, donec tandem oculis subijciatur. Ut Cic: Agraria 2da. *Ego qualem Calendîs Januarîjs acceperim, Rempublicam intelligo, plenam solicitudinis, plenam timoris, in qua nihil erat tam mali, nihil adversi, quod non boni metuerint, improbi expectarent.*

5. *Horismos seu Definitio* est, quæ rei alicujus proprietates, sivè unica, sive conglobatîs descriptionibûs breviter & absolutè continet. Ut Cic: pro Domo sua. *Quid Sergius? armiger Catilinæ, Stipator sui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus injuriarum, fori depopulator, percussor, lapidator, obsessor.*

Figuræ ex Loco Divisionis sunt 6.

1. *Merismos seu Distributio* est, quæ res plurimas, aut personas, aut negotia dividit, & quod summatim dici poterat, accuratiùs & fusiùs in suas distribuit partes. Ut Cic: pro Marcel: *At verò cujus gloriæ*

Cæsar quàm est paulò ante adeptus, socium habes neminem, totum hoc quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum est tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit &c.

2. *Epanodos seu Regressio* est, cùm id, quod erat propositum per Prolepsim, in partibus iteratur. v.g. *Vicerunt Romani Carthaginenses mari, terrâ Gallos.*

3. *Dilemmaton seu Complexio* est, cùm duo contraria subiecta ratione distingvuntur. Ut Cic: Philip 5. Num 25. *Legatos decernitis, si ut deprecentur, contemnet, si ut imperetis, non audiet.*

4. *Apophasis seu Expeditio* est, cùm pluribus rebus expositis & cæteris infirmatis, una tandem relinquitur & confirmatur. Vt Cic: *Necesse est, cùm constet fundum nostrū fuisse, ostendas, te aut vacuum possedisse, aut usu tuum fecisse, aut emisse, aut hæreditate tibi venisse. Vacuum cùm ego adessem, possidere non popotuisse tuum, usu fecisse etiam nunc non potes, emptio nulla profertur hæreditate, tibi me vivo pecuniâ meâ venire non potuit, relinquitur ergo ut me vi de meo fundo dejeceris.*

5. *Synathroismos seu Congeries* est, cùm multa verba varias res significantia in unum locum coacervantur. Ut Cic: pro Mil: Num:

Num: 70. *Vide quàm sit varia vitæ commutabilisq; ratio, quàm vaga volubilisq; fortuna, quantæ fœditates in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ aviditates.*

6. *Anacephalæosis seu Frequentatio* est, cùm res per totam causam sparsæ in unum locum congeruntur, quô gravior, acrior, ac criminosior appareat Oratio. Ut Cic: in Epilogo Orationis pro Archia. *Quare conservate Judices hominem pudore eo, quem amicorum studijs videtis comprobari &c.*

Figuræ quæ oriuntur ex Loco Causarum sunt 5.

1. *Ætyologia seu Redditio Causæ* est, cùm propositi alicujus statim rationem aliquam subijcimus. Ut Cic: pro Archia. N. 1. *Si quid est in me ingenij, aut siq; exercitatio dicendi &c. earum rerum omnium vel imprimis hic Aulus Licinius fructum a me repetere prope suo jure debet: Nam quô ad longissimè potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, hunc video mihi principem & ad suscipiendam, & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.*

2. *Dicæologia seu æquitas causæ* est, cùm causam, quam Orator adfert, tanquam justam & æquam defendit. v.g. *Acerbus & iniquus es, qui quod æqualiter omnibus putes ignoscendum,*

uni imputas, & in uno arbitraris vindicandum.

3. *Anancæon seu necessitas* est, cùm alicujus rei vel facti necessitatem causamq; adducimus. Vt Cic: Catil: 1. Num: 4. *Cupio P. C. me esse clementem; cupio in tantis periculis me non dissolutum videri: sed jam me ipsum inertiæ, nequitiæq; condemno &c.*

4. *Metastasis seu Transitio* est, cùm breviter ea, quæ dicta sunt, in memoriam revocantur, & quid consequatur ostenditur. Vt Cic: pro Lege Man: *Sed quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.*

5. *Climax seu Gradatio* est, cùm gradibus quibusdã ita ab uno ad alia transimus, ut semper proximum verbum repetatur. *v.g. Africano industria virtutem, Virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* Cic: Agraria 2da, *Quæ reliqua spes est libertatis, si illis & quod libet, licet, & quod licet possunt, & quod possunt, audent.*

Figuræ ex Loco Contrariorum sunt 7.

1. *Antithesis seu Contentio* est, cùm ex oppositis conficitur Oratio. Cic: Philip: 8va Num: 10. *Antonij promissa cruenta, tetra, Dijs, hominibus invisa, nec diuturna, nec salutaria, nostra verò contra, integra, honesta, gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis.*

3pliciter autem variari Antithesis potest. 1mò. Cùm verbum verbo contrariũ redditur

ditur. 2dò Cùm membrum membro opponitur. 3tiò. Cùm periodus periodo, cujus exempla ſub loco contrariorũ de Inventione habentur.

2. *Apodoxis ſeu Rejectio* eſt, cùm ea, quæ occurrunt in alium opportuniorem locum transferimus. Vt Virgilius.

Verùm hæc ipſe equidem ſpatijs excluſus iniquis
Prætereo, atq; alijs poſt commemoranda relinquo.

3. *Antimetabole ſeu Commutatio* eſt, cùm invertitur aliqua ſententia per contrariũ. *v. g. Eripis ut perdas, perdis ut eripias.*

4. *Brachylogia ſeu brevitas* eſt, cùm ſententiæ brevitate præcedit Orator Auditoris expectationem, ſeu cùm res ipſis tantummodò neceſſarijs verbis exponitur. Vt Virg:

Mantua me genuit Calabri tenuêre, tenet nunc
Parthenope, cecini, paſcua, rura, Duces.

5. *Paromologia ſeu Conceſſio* eſt, cùm aliqua adverſario concedimus, deinde inferimus, quod aut majus ſit, quàm ſuperiora, aut etiam omnia, quæ conceſſimus infirmantur. Vt Cic: pro Quinct: Num: 56. *Hæc ille ſi verbis non audet, re quidem vera palam loquitur. Etenim ſi vult Virorum bonorum inſtitutô vivere, multa diſcat, oportet atq; dediſcat: quorum illi ætati, utrumq; difficile eſt. Verùm,*

quoni-

quoniam tu id tibi arrogas & concedi postulas, concedamus.

6. *Antisagoge seu Compensatio* est, cùm multa, quæ pro adversario dici possunt, breviter & per partes ponuntur, tam ad singula respondetur ac omnibus repudiatis totum meliùs concluditur. Vt Cic: Catil: 1. Num: 28. *Non ne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis! quid tandem impedit te? mos ne majorum, aut persæpe etiam privati in hac Rep: perniciosos Cives mulctârunt &c.* Hæc Figura illustris est præcipuè dum ex concessione & Antithesi conflatur. Vtitur hac Seneca Polybium consolando. *Quid illi faceres? pecuniam eriperes? nunquam illi obnoxius fuit, & ab ea nullum majorem fructum, quàm contemptum ejus petit. Eriperes illi amicos? sciebas tam amabilem esse, ut facile in locum amissorum posset alios substituere. Eriperes Spiritum? quantulum nocuisses? longissimum illi ævum ingenij fama promitit. Id egit ipse, ut meliore sui parte duraret & compositis eloquentiæ præclaris operibus, à mortalitate se vindicaret.*

7. *Anasceve seu Destructio, seu Evacuatio* est, cùm ab adversarijs maximè proposita destruimus. Vt Cic: pro Mil: Objectionem de occiso Clodio refellit, quòd Clodius

in

in eadem via Appia, in qua occisus est, Equitem Romanum Papirium interfecerat. Num: 18. *Itaq; in eadem ista Appia via, cùm ornatissimum Equitem Romanum Marcum Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum &c.*

Figuræ ex Loco similium sunt 6.

1. *Parallelismus seu Comparatio* est, cùm vel paria cum paribus, vel minora cum minoribus, vel majora cum majoribus conferuntur, idq; magis ornandi, quàm argumentandi causâ. Hinc Seneca. Epist: 44. *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles. Nec reijcit quemq; Philosophia nec eligit; omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit, Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit Nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est? quare desperes, his te posse fieri parem, omnes hi majores tui sunt, si te illis dignum geris.*

2. *Homæosis seu similitudo* est, quæ rem priùs cognitam per alteram, quæ notior est demonstrat. Exemplum Homæosis dat Seneca lib: de ira. *Vt furentium certa incendia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementiùs acta suspiria: Ita irascentium eadem signa sunt, flagrant & micant oculi &c.*

3. *Apologus seu fabula* est, in qua muta animantia vel res inanimatæ humano more inducuntur loquentes. *v.g.* apud Æsopum vulpes ægrotantem leonem visitare in antro & adire nolens, dicit: vestigia intrantium & non exeuntium ex antro, me nimiùm terrent.

4. *Parabola seu Collatio*, est rerum genere dissimilium comparatio. Schemmate hoc Claudianus de 3tio consulatu Honoriũ cum Leone recens educato conferendo, utitur.

Vt Leo, quem fulvæ matris spelunca tegebat
Vberibus solitum pasci, cum crescere sentit
Vngve pedes & terga jubis & dentibus ora,
Jam negat imbelles epulas & rupe relicta
Getulo comes ire Patri stabulisq; minari
Æstuat, & cæsi terga absorbere juvenci &c.

5. *Paradigma seu Exemplum*, est rei gestæ vel quasi gestæ utilis ad persvadendum commemoratio. Vt Cic: pro Archia. *Homerum Colophonij Civem esse dicunt suum, Chij vendicant suum, Salamini repetunt, Smirnæi verò suum esse confirmant &c. Ergo illi alienum, quia Pòëta fuit, post mortem etiam expetunt, nos hunc vivum &c. repudiabimus.*

6. *Dialogismus*, est ficta personarum collocutio, vocatur autem sermocinatio, cum

vel

vel Verum ſermonem recitat Orator, vel ſecum diſputat, quid agendum ſit. Vt Cic: pro Quinct: Num: 71. *De re pecuniaria cupio contendere, non licet, & ea controverſia eſt, nihil ad me attinet, cauſam capitis, dicas oportet &c,*

Figuræ ex Loco Generis ſunt 2.

1. Epiponema ſeu Acclamatio eſt, quando poſt narratas res, ſive comprobatas vel honeſtatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel difficultatis gratiâ, vehementiore affectu, quaſi obſtupefactus exclamat Orator. Vt Virg: Æneid.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem,

Idem 4. Georg:

Tantus amor florum & generandi gloria mellis.

Cic: quoq; pro Sextio Num: 86. *Hoc ſentire prudentiæ, facere fortitudinis, & ſentire verò & facere perfectæ cumulatæq; virtutis.*

2. *Noæma ſeu Cogitatio ſententiæ* eſt, cùm quæ non dicimus, tacitè ſignificamus, ut intelligere poſſit Auditor. v.g. *Hortenſius negabat, ſe unquam cum Matre aut Sorore rediſſe in gratiam, ubi intelligendum relinquitur, quia nunquam cum Matre aut Sorore in odium voluit venire.*

Figuræ ex Locô ſignorum ſunt. 2.

1. *Hypotypoſis ſeu Energia, ſeu deſcriptio* eſt, quâ

res

res ita exprimitur, ut videri potiùs, & coram geri, quàm audiri videatur. Vtitur hac Cic: pro Mur: Num: 88. *Quæ verò miseranda sunt, ea & mihi ante oculos versantur, & vos videre & perspicere potestis.* Pòëtis quoq; usui schema hoc est, in describendis rebus. Vt Virg: 2. Æneid: los expugnationem arcis Priami non describit, sed ferme oculis subijcit.

At domus interior gemitu miseroq; tumultu
Miscetur penitusq; cavæ plangoribus ædes.
Fæmineis ululant: ferit aurea sidera clamor &c.

Species Hypotyposis sunt 4.

Prosopographia seu Personæ descriptio sivè veræ sivè falsæ est, quando persona cum suis attributis sivè animi, sivè corporis describitur. Vt Lucanus Libro 1. Cæsarem à bello Civili dehortantem Patriam describit.

Ingens visa duci Patriæ trepidantis imago
Clara per obscuram vultu mæstissima, noctem.
Turrigero canos effundens vertice crines:
Cæsarie lacera, nudisq; adstare lacertis.
Et gemitu permista loqui: quo tenditis ultra,
Quò fertis mea signa Viri: &c.

Æthopœia seu morum fictio est, qua mitiores affectus exprimuntur, congruitq; Comædijs & Dialogis.

Pathopeia est, quæ graviores ac vehementiores

tiores motus affectus & perturbationes Ut Virg:

Flectere si nequeam superos, acherenta movebo.

Topographia seu vera & perspicua locorum verorum descriptio est, cùm Urbes, portus, arces, templa, regiones, montes, sylvæ &c describuntur. Ut Claud: de bello Gildonico Sardiniam depingit.

Humanæ speciem plantæ se magna figuras
Insula, sardaniam Veteres dixere Coloni:
Dives ager frugum, Pænos, Italosq; petenti.
Opportuna situ: qua pars vicinior Afris
Plana solo, ratibus clemens: qua respicit arcton,
Immitis, scopulosa procax, subitusq; sonora.
Fluctibus, insanos infamat navita montes.

Topothesia seu loci ficti descriptio est, cùm locus ille, qui nullibi est, describitur. Ut Ovi: in metamorphosi ædes somni describit,

Est propè Cymmerios longè spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus & penetralia somni;
Quó nunquam radijs oriens mediùsvè cadensve
Phæbus adire potest.

Virgilius quoq; Æneidos 6. Elisios describit campos.

Chronographia seu temporis descriptio est, cùm nox aut dies, aurora sivè æstas, annus sivè alia hujusmodi describuntur. Ut Luc: Lib: 5. Vespertinum tempus describit.

Sidera prima Poli Phæbo labante sub umbras
Extigerant, & Luna suas jam fecerat umbas.

Hinc noctem Virg: Æneidos describit. 8:

Nox erat & terras animalia fessa per omnes,
Alituum pecudumq; genus, sapor altus habebat.

2. Prosopopæia seu personæ effectio est, cum rebus multis sermonem tribuimus; aut vità defunctos tanquam vivos, aut absentes, tanquam præsentes inducimus loquentes. Vt Cic: pro Mil: inducit absentem Milonem, tanquam præsentem & loquentem Num: 78. *Quamoborem si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius. Adeste quæso, atq; audite Cives: P. Clodium interfeci ejus furores. quos nullîs jam legibûs, nullîs judiciîs, frenare poteramus, hôc ferrô & hac dextera à ceruicibus vestris repuli, per me unum effectum est, ut ejus æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia, in Civitate manerent &c.*

Aliæ Figuræ quæcunq; inveniri possent, vel ad enumeratas reducuntur, illisq; implicitè continentur, vel minoris existunt usûs.

CAPUT VIII.

De Compositione.

Compositio est verborum apta & concinna svaviterq; numerosa constructio, quà lenis

nis, æquabilis suisq; modulis perpolita efficitur Oratio. Consistit in 4or. in Juncturâ, Ordine, Periodis & Numeris.

Junctura est apta verborum antecedentiũ cum consequentibus conjunctio, quâ aures leniter ingreditur & nunquam offendit Oratio. Consistit in 2bus. in sono literarũ, & multitudine syllabarum.

Vitanda sunt in Junctura hæc potissimũ *7ptem*. *1mò*. ne sit Oratio hiulca, quod fit ex frequenti concursu vocalium, præsertim quando in Vocalem desinit dictio, & altera immediatè sequens à vocali incipit. v.g. *Baccæ Æneæ amænissimæ intendebant &c.* 2dò. ne eadem consonans nimis frequenter repetatur. v.g. *quidquam, quisquam, cuiquam, quod conveniat neget, vel illud.*

O Tite tute, tibi tua tanta Tyranne tulisti. 3tiò. vitanda est assidua ejusdem verbi repetitio. v.g. *cujus Rationis ratio non extat, ei rationi ratio non est fidem habere.* 4tò. vitandus creber & assiduus verborum similiter cadentium usus. v.g. *flentes, plorantes, lachrymantes, obstantes &c* 5tò. vitandæ sunt Consonantes duriores, quæ stridorem & sibilum odiosum reddunt. v.g. *Rex Xerxes stravit montes.* 6tò. fugiendæ sunt dictiones monosyllabæ. v.g. *lex hæc est, quam Rex vult, plebs non vult.* 7mò.

cavendum nè longo nimis tractu verba continuentur. qualis continuatio & Auditorũ aures & Oratoris Spiritum, afficit.

Ordo Compositionis est apta verborum simplicium & conjunctorum dispositio. Consistit potissimùm in 3bus. 1mò. ut in Amplificatione Orationis semper gravius aliquod verbum leviori subijciatur. *2dò.* ut naturalis ordo rerum servetur, ita ut diem nox, ortum occasus, & quid simile potius consequatur, quàm è contra. *3tio.* ut non eadem ratione omnia perjodorum membra producantur, sed diversitas quædam Periodorum varia atq; varia adhibeatur, propter aliquod Auditoris tædium evitandum. Undè aliquandò membratim, aliquandò incisim, aliquando Perjodicè membra Orationis sunt proferenda.

Periodus, est ambitus seu Circuitus seu continuatio verborum dictionumq; plenã syntaxim & sensum perfectum habens.

Conficitur ex Commatibus seu incisis, & colis seu membris. Vnde membra seu cola sunt Partes immediatæ Perjodi, commata vero seu incisa partes membrorum.

Comma seu Incisum, est pars Perjodi; necdùm quidquam absolutè significans, ex duabus aut pluribus dictionibus constans. v.g. *Si*

quid

quid est in me ingenij. Estq; duplex: Dictionis & Orationis. *Dictionis* est, quod singulis sub se notis continenter absolvitur. v.g. *abijt, excessit, erupit, evasit. Orationis* est, quod pluribus verbis perficitur. Vt Cicero pro Archia Num: 26. *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisq; maximè gloriâ ducitur.*

Colon seu Membrum, est Pars Orationis perfectè quidem aliquid significans; sed justã non absolvens Perjodum & suspendens magis, quám perficiens Orationem. Vt Cic: pro Archia Num: 2. *quodsi hæc vox hujus hortatu præceptisq; conformata, nonnullis aliquando saluti fuit.* Estq; 2plex: Rectum & Productum. *Rectum* est, quod certo syllabarũ numero comprehenditur nec duodecem aut plures paulò syllabas excedit. ut Seneca. *Quid tibi opus est, ut sis bonus, velle. Productum* est, quod certo numero syllabarum non concluditur, & ultra 24. syllabas extenditur, atq; expluribus incisis componitur. Vt Cic: pro Archia Num: 2. *Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum.* Sed alterũ membrũ est 3plex: Parvum mediocre & Magnum. *Parvum* est, quod ad 9. vel 10. syllabas non extenditur. *Mediocre*, quod ad 18. vel 20. *Magnum*, quod ad plures quam 20. syllabas protenditur.

Parva membra habent locum in causis minoribus; in Causis autem gravioribus & panegyricis adhibentur mediocria, imò & magna præcipuè in Exordijs, quale est apud Ciceronem pro Marco Marcello. *Rursus* Membrum est 2plex: simplex & compositum. *Simplex* est, quod unum tantū habet comma. v.g. *maximum remedium iræ mora est.* *Compositum* est, quod plura habet commata. v.g. *in bello militum virtus, locorū opportunitas, auxilia Sociorum & commeatuum copia plurimum juvant.*

Quid est dicere cæsim seu Incisim, quid membratim, quid Periodice? Cæsim dicere est, cùm diu per sola commata diducitur oratio, quo genere dicendi utimur, cùm arguimus vel enumeramus, vel refellimus, vel invehimur. Vt Cic: post Redi: in Senatu Num: 13. *Cum hoc homine aut cum stipite, æthiope, si in foro constitisset, nihil crederes interesse, sine sensu, sine sapore, elingvem, tardum, inhumanum, neglectum, cappadocem, modó abreptum de grege venalium diceres &c.* Membratim dicere est, cum per membra funditur Oratio, valetq; ad refellendū, ad invehendum, maximè verô ad narrandum. Vt Cic: in Pisonem Num: 56. *Cum extingvebas Senatum, vendebas authoritatem hujus Ordinis, addicebas Tribunoplebis consulatum tuum,*

Rem-

Rempublicam evertebas, prodebas caput & salutem meam, una mercede Provinciæ. Periodicè dicere est, cùm ambitu finito periodorum, effertur atq; explanatur Sententia. Vt Cicero pro Archia. *Si quid est in me ingenij quod sentio, quàm sit exiguum &c.*

Adverte pulcherrimè in Oratione misceri membra cum Incisis. Vt pro Archia Num: 16. *Hæc studia adolescentiam alunt, Senectutem oblectant &c.* Periodicè verô dicere vel maximè convenit Oratori in Exordijs, quæ ut plurimum graviorem dicendi rationem reqvirunt. in Argumentis formandis, præsertim quandò non tanta contentione vibrantur.

Cæsim autem & membratim in narrationibus, ubi præsertim non tantùm dignitatis quæritur; tum in descriptionibus, altercationibus, sermonibus, Dialogis, Epistolis, & similibus, quæ minùs gravitatis habent, & plùs acrimoniæ.

Conditiones Periodi sunt 5. *1ma* ut sensum perfectum clarumq: habeat. *2da* ut habeat numerum oratorium, qui maximè in principio & fine illius relucet. *3tia.* ut habeat Prothasim & Apodosim. *4ta.* ut particulis correlativis aut Relativis membra connectantur. Quales sunt tantùm, quantùm,

tùm, toties, quoties, adeò, ut, potiùs, quàm &c. *stò.* ut quantum fieri poteſt perſonalî verbô claudatur Periodus. Quod ſi aliqua ex numeratis his conditionibus defuerit, propriè non poterit dici periodus, ſed vel Circumductio ſi pluribus quàm 4. membris abſolvatur. Vel ſimplex tantùm Propoſitio nominabitur, ſi uno membro abſolvetur, & quidem ſine debita in fine clauſula.

Partes Periodi ſunt. 2. Antecedens & Conſequens.

Antecedens ſeu Protbaſis Periodi eſt principiũ illius ~~ſeu eã~~ pars, quæ inchoat aut proponit ſententiam. Vt pro Archia Nu: 27. *Quare in qua Vrbe imperatores propè armati Poëtarum nomen, & Muſarum delubra coluerunt.* Conſequens ſeu Apodoſis eſt Finis Periodi ſeu ad ſententiam inchoatam perficiendam reditus, ſeu reflexio. Vt ſuperioris Antecedentis Conſequens ſeu Apodoſis eſt talis: *in ea non debent Togati Judices à Muſarum honore, & à Poëtarum ſalute abhorrere.*

Periodus eſt 2plex: Perfecta & Imperfecta. *Perfecta* eſt, quæ conſtat principio & fine, abſolvitq; & perficit ſententiam, nec excedit 4. membrorum magnitudinem. Vt pro Archia Num: 1. *Quodſi hæc vox hujus hortatu*

tatu præceptisq́; conformata non nullis aliquando saluti fuit: à quo id accepimus, quo cæteris opitulari, & alios servare possemus, huic perfecto ipsi quantum in nobis situm est, & opem & salutem ferre debemus.

Imperfecta est, quæ uno membro longiori vel pluribus constat, cum absolutione sententiæ, sine dependentia Antecedentis & Consequentis.

Periodus Perfecta est 4plex. Monocolos Dicolos, Tricolos, & Tetracolos. *Monocolos seu Vnimembris* est, quæ uno tantùm membro constat, v.g. *Tam studiosus literarum adolescens quàm virtutis.* Differt Periodus monocolos à membro simplici eo, quòd membrū simplex suspendat magis, quàm perficiat Orationem; Monocola verò Periodus in unico sui membro sensum perfectum habet.

Dicolos seu bimembris est, quæ ex duobus membris componitur Vt Cicero pro Archia Num: 2. *Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur.* Estq; Periodus Dicola duplex: Isocolos & Anisos. *Isocolos* est, cùm utrumq; membrum ferè sibi æquale est numero syllabarum. Qualis est in Cic: pro Archia Num: 27. *Quare in qua Vrbe Imperatores propè armati Poëtarum nomen & Musarum delubra coluerunt; in ea*

non debent togati Iudices à Musarum honore & Poëtarum salute abhorrere.

Amisos est, cùm unum membrum altero in syllabarum numero notabiliter majus est. Qualis est hæc. *Etenim artes quæ ad humanitatem pertinent &c.* Hæc Periodus iterum est 2plex. *Macrocolon*, cujus membrum posterius priore longius est. Qualis est in Cic: post Reditum ad Quirites. *Non enim ille deprecatione rediit, sed in dissensu Civium exercitu se armisq; revocavit* Et *Miuron*, cujus membrum prius multitudine syllabarum posterius excedit. Qualis est pro eodem Archia Nu: 19. *Sit igitur Judices Sanctum apud vos humanissimos homines hoc Poëtæ nomen, quod nulla unquam barbaria violavit.*

Tricolos seu Trimembris est, quæ 3bus membris constituitur. Vt Cic: pro Cælio N. 28. *Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates, quæ si ita erumpunt ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles ac tolerabiles haberi solent.* Hæc periodus elegantissimè efformari solet, cùm aut uni Prothasi, duplex respondet Apodosis, aut duplici Prothasi una Apodosis. Exemplum 1mi est in Cic: pro Quinctio Num: 26. *Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur*

necesse est, iste qui amicum, Socium, affinem, famâ & fortunis spoliare conatus est, vanum se & perfidiosum & impium esse fateatur. 2di exemplum est, apud eundem Ciceronem. *Cum eos, qui in conventu virorum bonorum de salute mea fecerant, adesse jussisti, eorumq; advocationem manibus, ferro, lapidibus dispulisti, tum profectò ostendisti vim tibi maximè displicere.*

Periodus autem Tricola 2plex: Isopleuros & Isosceles. *Isopleuros* est, cùm omnia 3. membra numero syllabarum paria sunt. v.g. *Ille ad summa honorum subsellia evehitur, ille titulorum summos assequitur splendores, qui ad hos per virtutis tendit sacrarium.*

Isosceles est, cùm membra 2. sunt æqualia tertium verò inæquale idq; vel 1mum vel 2dum vel ultimum. Vt Cic: pro Archia Num: 2. *Nam quoad longissimè potest mens mea respicere spatium præteriti temporis & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usq; repetens, hunc video mihi principem & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.*

Tetracolos seu 4drimembris est, quæ ex 4or Colis seu membris conficitur. Talis est in principio Orationis in Cæcinam; *Si quantum in agro locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atq; judicijs imprudentia valeret, non minùs in causa cederet Aulus Cæcina Sexti Æbutij* imprudęn-

prudentiæ, quàm hic in vi facienda cessit audaciæ.

Conficitur periodus hæc eleganter, cùm aut duabus Prothasibus bina respondet Apodosis, ut in hac periodo. *Si quantum in agro locisq; desertis &c.* Aut tribus Prothasibus una Apodosis. Vt in 1ma periodo Orationis pro Archia Pòéta. *Si quid est in me ingenij Judices, quod sentio, quàm sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum, aut si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studijs, disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse, earum rerum omnium vel imprimis hic A. Licinius fructum à me repetere prope suo jure debet.* Vel etiam è converso cùm uni Prothasi triplex respondet Apodosis. ut in eadē Oratione pro Archia Num: 7: *Data est Civitas Syllani lege & carbonis, si qui federatis civitatibus adscripti fuissent, si tum cùm lex ferebatur in Italia, domicilium habuissent, & si 60. diebus apud Prætorem essent professi.*

Periodus imperfecta est 5tuplex. Schinotenes, Periodus Pneumatica, Periodicon seu Periodica Circumductio, Pneuma, & Thasis.

Schinotenes est Membrum unicum prolixiùs fusum in modum cujusdam longissimi

funis

funis protenſum. Tali, eſt apud Cic: in Epilogo Orationis poſt Red: ad Quirites. Num: 24. *In referenda autem gratia vobis repromitto, ſemperq; præſtabo, mihi neq; in conſilijs de Republica capiendis diligentiam, neq; in periculis à Republica propulſandis animum, neq; in ſententia ſimpliciter referenda fidem, neq; in hominum voluntatibus pro Republica lædendis libertatem, nec in perferendo labore induſtriam, nec in veſtris commodis gratam animi benevolentiam deſuturam.*

Licet autem perjodus hæc ſchinotenes ſit unimembris actu, tamen potentiâ eſt multímembis ſi enim verbum quod in fine poſitum eſt referatur ad ſingula commata, certò certiùs propter additam ſensûs perfectionem multa membra facit. Vt in hac perjodo Ciceroniana ſi participium in fine poſitum, *deſuturam.* addatur ſingulis Commatibus hoc modo. *In referenda autem gratia repromitto vobis, mihi neq; in conſilijs de Republica capiendis diligentiam deſuturam, neq; in periculis à Republica propulſandis deſuturum animum &c.* tunc unimembris hæc periodus detacto in multimembrem evadet.

Fit Schinotenes 2pliciter. *imò.* Tractatione verbi & alterius interjectione ut. v.g. Curtius de Alexandro. *Cæterum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges anteceſſit,*

illam

illam in subeundis periculis constantiam, in rebus molliendis efficiendisq; prudentiam, in debitos fidem, in captivos clementiam, haud tolerabili aliquando cupiditate fœdavit. 2dò. cùm unicum colon incisis distinctum protenditur. Vt Cic: *tu continentiam, tu industriam, tu animum in Rempublicam, tu virtutem, tu innocentiam, tu labores tuos, quod illis non sis fractus, esse abjectos ac repudiatos putas.*

Periodus Pneumatica est, quæ componitur ex commatibus, & membris longitudinem Schinotenicam imitantibus, atq; adeò prolixis, ut usq; ad notabile respirium Oratoris protrahatur. Talis est in Cic: post red: ad Quirites Num: 6. *Non enim pro meo reditu, ut pro Popillij nobilissimi hominis adolescentes filij & multi præterea cognati, atq; affines deprecati sunt, non ut pro Q. Metello clarissimo Viro jam spectata ætate filius, non Lucius Dalmaticus Consularis summa auctoritate* Vir, *non Metellus Censorius, non eorum liberi, non Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat: non sororum filij, Luculli, Servilij, Scipiones permulti enim, tum Metelli, aut Metellorum liberi pro Metelli reditu vobis ac Patribus vestris supplicaverunt.*

Ubi advertendum etiam Periodum bimembrem aut trimembrem omnino censendam Pneumaticam, si ex membris schinotenicis absq; antecedentis & consequen-

quentis obſervatione componatur.

Periodicon ſeu Periodica circumductio eſt commatum Membrorumq; continuatio, non adſcripta ad certum eorumdem numerum, illis tamen periodum Tetracolam excedens, cum obſervatione antecedentis & conſequentis. Talis eſt pro Archia. Num: 8.

Eſt ridiculum, ad ea quæ habemus, nihil dicere, quærere, quæ habere non poſſumus & de hominum memoria tacere, literatorum memoriam flagitare: & cùm habeas Ampliſſimi Viri religionem, integerrimi municipij jusjurandum, fidemq;: ea quæ depravari nullo modo poſſunt, repudiare: tabulas, quas idem dicis ſolere corrumpi, deſiderare.

Pneuma eſt ſententiæ comprehenſio, quæ multa membra atq; commata complectens, adeò extenditur ut nonniſi exhauſto Oratoris ſpiritu ſiſtat.

Habetq; partes duas. Dianiam ſeu intentum, quod longivs eſt mediumq; ſenſum comprehendit.

Et Epilogum qui brevior eſt & reliqvũ ſenſum perficit. Tali Cic: utitur pro eodem Archia Num: 13. *Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi quantum cæteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis*

con-

conceditur temporis: quantum alij tribuunt in tempestivis convivijs: quantum denique aleæ, pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero?

Differentia inter Periodum Pneumaticā & Pneuma, quæ quodam modo ipso nomine idem sonare videtur est hæc. Quia *Periodus Pneumatica* componitur ex membris & incisis Schinotenicis, *seu* in multam longitudinem productis. *Pneuma* verò ijsdem membris brevioribus sed pluribus *Seu* quia *periodus Pneumatica* componitur ex magnitudine membrorum *Pneuma* verò ex multitudine eorundem.

Thasis est forma longissima periodi impropriæ, quæ prolixitate nimia etiam Pneumaticam excedit, dicentis spiritū omnino superat ac defatigat. Talis est in Cic: pro eodem Archia Num: 31. *Petimus à vobis Judices, si quæ non modò humana verum etiam Divina in tantis negotijs debet esse commendatio, ut eum, qui vos, qui vestros Imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornavit: qui etiam his recentibus nostris vestrisq; domesticis prælijs se testimoniū laudum daturum esse profitetur? quiq; est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atq; dicti; sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potiùs quàm accerbitate violatus esse videatur.* Item post Red: Num: 1. *Quod preca-*

precatus à Jove optimo cæterisq; Dijs immortalibus sum Quirites. &c.

Discrimen inter Periodicam Circumductionem Pneumaticam & Thasim est hoc. quia *Periodus Pneumatica* non habet perfectã Prothasim & Apodosim. *Periodica* verò habere potest, ambæ tamen ejusmodi periodi ad spiritum vocis Oratoris accommodantur; *Thasis* autem easdem ita excedere videtur, ut prolixiori illius tractui spiritus Oratoris non sufficiat.

Adverte Schinotenem periodicam Circũductionem, & periodum Pneumaticam locum habere propriè in describendis rebus magnis, sive illæ sint lætæ, sive tristes; Pneuma vero & Thasis locum potissimum habet in congerie atq; distributione, cùm scil: aut totum in partes distribuimus, aut res in unum congestas ac conglobatas enumeramus. In formandis verò periodis unusquisq; naturam & aptitudinem suam sequi debet, breviores seu prolixiores pro rei exigentia & capacitate vocis & laterum periodos adhibendo.

Quot sunt illi scienda, qui Periodum aliquam vult formare? Hæc potissimùm tria: Quomodo materia pro membris petenda, quomodo membra connectenda, & quo-

modo per artificium exornanda.

Materia pro Membris ex quavis dictione petenda est, præsertim per adjuncta: *quis quid* &c. quibus ampliora redduntur. *Cōnectenda membra periodorum* sunt, per particulas connectivas, quarum una non potest intelligi sine altera. Quales sunt. v.g. *quantus tantus, quoties, toties, quò, eò, adeo, ut, ita &c.* qualesq; conjunctiones sunt. v.g. *si, etsi, quamvis, tamen, nihilominus.* qualia item signa sunt illa tam affirmativa, quàm negativa. v.g. *omnis, nullus, quisq; &c.* Item gerundia v.g. *legendo discimus discendo proficimus.*

Exornantur Membra per artificium, dum simplici elocutioni doctior, quâ per Figuras, quâ per Tropos, quâ per alios modos substituitur.

Artificium verò conficiendæ Periodi positum est in nexu & dispositione apta, ornatuq; membrorum & incisorum, quæ ita conveniant, ut ex eorum complexione totum periodi corpus coalescat. id verò ut artificiosè fiat, habenda est ratio verborū partium, in quas funditur & explicatur periodus, numeri & dignitatis. *Verborum* oportet habere diligentem rationem, in ijsq; notandæ sunt 4or præcipuè affecti ones. *imò.* vis in exponendis explicandisq;

rebus,

rebus, *2dò.* ſplendor & dignitas in ſenſu. *3tiò,* majeſtas in ſono & amplitudo. *4tò.* ſvavitas vel aſperitas.

Quot? modis periodus ſimplex in cultiorem transformari poteſt? Multis modis, præcipuè tamen his 10.

1mò. ſi pro adjectivis verbisq; ſimplicibus ponantur Metaphorica & Figurata. Ut v.g. hanc periodum ſimplicem. Turca Polonis reddidit Camenecum, quidam exornat. *En ille immaniſſimus alienæ fortunæ Helluo Turca, qui ſapidas non unius Regalis pomi cupedias voraci abliguriverat gutture, Camenecum, hoc eſt excuſſum olim è Poloniæ diademate magni pretij lapidem, inſatiabili laborantibus orexi viſceribus inſepultum poſſidens, tandem poſtquam conſumere nequijſſet, immani omnium ſuorum dolore evomuit.*

2dò ſi verbis addantur adverbia apta atq; talia, quæ rei naturam enucleatiùs exprimant ut. v.g. ſenſus hic *marcet ſine adverſario virtus.* exponitur. *Quidquam ne excellenter ad gloriam, ſolidè ad indebilem ſæculorum memoriam auſa eſt virtus aggredi, niſi eam fortior adverſarij ſtimulus pulchrius in altum urgeat: ibit profectò illa per quævis obſtantia generoſiùs, irruet in quodvis adverſum fortiùs, flammabit ardore honeſti ferventiùs, abundabit omni pulcherrimarũ rerum exercitio uberius, ſi, per quæ incitatis enitatur paſſibus,*

eidem pertinacior adversarij æmulatio sese demonstret in aperto.

3tiò. Simplex periodus servientibus exornetur eruditionibus. Ut v.g. hic sensus rari sunt, qui seipsos vincant, exornatur. *In hac cum propris passionibus nunquam cessante hostilitate, rarum inveneris Annibalem, qui Cannas & non Capuam Marte sinistro referat. Rarus Achilles, qui ad hanc Trojam pugnet fortius; paucos hîc censueris Scipiones; quibus hæc cum recalcitrantium affectuum monstris, sub jugum eat Africa &c.*

4tò. Si per aliquam Figuram numerosiorem, ut est v.g. Hippotihiposis, Prosopopæia, Distributio &c. Sensus simplex in periodum effundatur. Ut v.g. Pòëtarum ac Oratorum sui sæculi Phænix noster Biezanovius in Panegyrico cui titulus. *Clava Martis Sarmatici.* Sensum hunc simplicem: *Xerxes multos habuit exercitus.* per distributionem effert. *Laboratum est tota Perside, pro vastissimo Xerxis ambitu, moti Provinciarum cardines, idiomata populorum, confusa, Arabes Indus, Babilonij Hircanis, Sogdijanisq; permisti, infusus Hellesponto Tygris, & Euphrates, vicini Gangis Accolæ solem alienum mirati, ut probrum infame, spolium ingens, sæculorum fabula & risus Græciæ sardonius fierent &c.*

5tò. Si per Auxesim, gradationem & correctionem, singula verba extollendo, periodus

dus exponatur ut v.g. hunc ſenſum: adduximus vobis ſceleſtiſſimum hominem in judicium exponit Cic: *Non enim furem, ſed raptorem, non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, non ſicarium, ſed crudeliſſimum Civium carnificem in veſtrum judicium adduximus.*

6to. Si verba definitiva ponantur loco rei definitæ, aut ſimul cum re definita eadem verba definitiva connectantur. Ut v.g. ſenſus hic: *Virtutem honos ſequitur*; cultiùs effertur. *Maxima ſuperûm indulgentiâ, munus terris conceſſum, perennatura animorum humanorum adorea virtus, adeò cumulatiſſimis circumquaq; abundat præmijs, ut prima contendentium votorum meta honor, indiviſis eam comitari nunquam deſinat paſſibus.*

7mò. ſi illa res, de qua, dicitur, per comparationem cum aliqua re ſimili efferatur. Ut v.g. ſenſus hic: *profert homo fructus in ſenectute, ſi in juventute virtutibus ſeſe exercuerit,* effertur. *Optimè conveniunt & in una ſede morantur hominum (inverſarum ſcil: arborum plantarumq;) ingenia: uberrimis in autumno abundant fructibus, ſi vere floruerint novo.* Emmanuel quoq; ſenſum hunc: *conjunctæ ſunt cum laboribus curæ*: Eleganter exponit. *Coacervatæ tamen cum dignitate curæ, ubi enim curæ niſi in Curia: ſolem circumnectens*

nectens corona, nimbos minatur. Idem, quòd *magna felicitas magnæ calamitatis præsaga est*, dicit: *Extrema Regni tranquillitas, extremam cladem minatur, die inclinante grandior florescit iris.*

8vò. Si per lusum in verbis à levitate alienum, insperfasq; hinc inde Anthiteses exponatur ut v.g. Emmanuel de Abele sensum simplicem. *Abel Ovium Pastor*, exponit. *Errantium pecudum populo, sub legem misso Regale munus, & gregale permiscens, pedum pro sceptro gestavit, Rex inter Oves, ovis inter Reges obsequentissimè lanigerorum Reip: imperando servijt serviendo imperavit.*

9no. Si periodus pluribus particulis correlativis, interrogationibus aut synonimis sensibus, distributione, aut prolixiore Hyppotiposi, Prosopopæia fusiori, Apostrophe vel demum alicujus affectus exageratione efformetur. ut v.g. hunc sensum, *ausus es nefariè sacram aedem* ingredi Cic: per interrogationem & synonimiam exponit. *Tu ingredi domum illam ausus es, tu illud Sanctissimum limen interare, tua illorum ædium Dijs Penatibus, te importunissimum ostendere, an tu illa vestibula, rostra, spolia, cùm aspexisti, domum tuam te introire putabas.*

10. Si per Allegoriam sensus aliquis simplex efferatur, idq; vel per Allegoriam Mixtam-

tam vel compositam adhibitis particulis similitudinis vel sublatis. v.g. *Resp: Principis destituta, gubernio in maximis periculis versatur* per Allegoriam navis effertur. *Non sedente peritissimo Navarcho ad clavum, Navis decumanis oppressa fluctibus magnisq; agitata procellis, in scyllas & Charybdes plenis protruditur velis. Resp: Principis prudentissimi destituta regimine in maxima ultimoq; proxima interitui conjicitur pericula.*

Notæ interpungendi orationem sunt 4. Comma, Media nota, Duo puncta, & Periodus. *Comma seu virgula seu semipunctum* est, quod nunquam integram sententiam terminat, sed tantùm nomina & verba distingvit, quæ aliquo modo inter se differunt ut. v.g. cùm dicitur. *Vir probus, eruditus, pius &c.* vel cùm dicitur *hortari, orare, monere, &c.*

Utendum etiam Commate in distingvendis incisis. & membris, quælicet in pronuntiando non solent interconspiratione distingvi, in scribendo tamen interpunctione egent. v.g. *finivimus studia, continuavimus præcepta, sola superest corona.*

Media nota est, quæ. *imò* ponenda tunc, quandò interveniunt naturâ contraria. v.g. *publica, privata, sacra, profana, tua, aliena, &c.* *idò*, tunc, quando est variatio sen-

tentiæ, ubi si comma ponatur parum est, si duo puncta nimium, v.g. *ratio docet, si adversa fortuna sit, nimium dolendum non esse; si secunda, moderatè lætandum.*

Hoc quoq; sedulò notandum, quòd cùm videantur duæ esse in sententia Partes, illæ ab uno dependebunt verbo, ubi 1ma pars absolvitur, & terminatur, ibi debet poni media nota.

Duo puncta sunt, quæ habent locum. 1mò post Prothasim aut Apodosim, seu Redditionem causæ. 2dò habent locum inter perfecta Relativa. 3tiò. cùm ponitur sententia constans duabus vel pluribus Partibus, quarum singulas sua verba regunt, tunc sæpissimè hæc nota illas Partes dividit.

Periodus est, quá sententia clauditur & terminatur, nec difficilem cognitionem habet, ubi verô concisa sententia est & iterùm altera subsequitur, tunc duobus punctis meliùs utendum est, quàm unicô. Authores enim per unicum punctum majorem claudunt sensum, quàm per duò, illudq; alio titulo nominant Periodum parvam.

Numerus Oratorius est, certa quædam Pedum & temporis in syllabis observatio, modulis quibusdam adstringens Orationem.

Consistit in Pedibus; qui sunt 3plices: dissyl-

ſyllabi, triſyllabi, & quadriſyllabi, quorum notitia patet ex Grammaticis.

Ubi Obſervandi ſunt Pedes.? In Principio, medio, & in exitu ſeu clauſulis Periodorum.

Principijs Periodorum hi potiſſimum ſerviunt Pedes. Spondæus, Dactylus, Anapæſtus. Creticus præcipuè geminatus, v.g *neminem veſtrum ignorare arbitror*, Pæon 4tus Amphybrachys, Moloſſus, & Bacchius, Aſcendendo à monoſyllabis ad diſſyllabas, à diſſyllabis ad 3:ſyllabas vel 4ſyllabas pulchrè ſuccedit Oratio. Ut Cicero. *ſi quando inimicorum impetum &c.* In gravioribus Orationibus optimè inchoantur Periodi à 3:ſyllabis dictionibus,penultimam tamen longam habentibus. Ut Winkler Orator graviſſimus facit in ſua Panegyri: *Auguſtam regni felicitatem &c.*

In medio Periodorum minuùs pedes obſervantur, hi tamen potiſſimùm adhiberi poſſunt: Pæon 1mus & 4tus, Creticus Baechius, Dactylus, Moloſſus, Ditrochæus, & alij pro exigentia rei ſunt adhibendi.

Obſervandum eſt, ut in quolibet membro & commate adiectivum à ſuo ſubſtantivo intercludatur alio caſu vel tempore. v.g. *Auguſta Imperiorum Majeſtas*, ne ponatur

Augusta Majestas Imperiorum. *Fortissimus in acie decertat Imperator*, ne ponatur fortissimus Imperator decertat in acie.

Item observandum, ut in medio Periodorum ita in tota Oratione, ne ponātur crebræ voces æqualis numeri penes se vel maximè voces dyssylabæ vel monosyllabæ. v. g. *non vox in hac re sit, sed vis & cor.*

Item ne sensus Poëticus in Oratione ponatur ast potiùs frangatur. v. g. si diceret aliquis. *Mæcenas atavis edite Regibus*, potius ponat, *atavis Regibus edite Mæcenas Dignissime.*

In Clausulis Periodorum maximè à Cicerone probati sunt pedes, Ditrochæus, cui optimè præponitur Creticus vel Bacchius vel Spondæus, Dactylus cum Bacchio, Creticus iteratus, vel Creticus cum Dactylo, Choræus cum Molosso, Creticus cum spondæo, spondæus cum Bacchio, Dispondæus præcedente Choræo, atq; alij, qui numeri gravitate pleni judicantur. Hinc maximè in fine adhibentur dictiones, ut plurimū quadrisyllabæ penultimam longam omnino habentes, quales resultant ex præteritis, Participijs, futuris, tum ex casu genitivo 2dæ declinationis. v. g. *dignaturus, excursurus evanuerunt, dixerunt Oratorū &c.* Vitiosè autem clauditur Periodus 2bus Dactylis vel Dactylo & Spondæo, quia illi Asclepiadeum; hi Adonium efficiunt carmen. Polisyllaba tamen & 4drisyllaba dictione magisq; verbô quàm nomine. Item ex Nominibus, adjectivô potiùs, quàm substantivô non invenustè solet Periodus claudi.

LIBER

LIBER IV.

De Memoria & Pronuntiatione.

Memoria est firma animi rerum & verborum Ordinisq; perceptio fidelisq; custodia. A Platone dicitur Mater Musarum, à Pòëtis Genitrix sapientiæ, à Cicerone thesaurus inventorum atq; omnium Partiũ Rhetoricæ Custos. Estq; 2plex: Naturalis & Artificialis.

Naturalis est vis quædam à natura animis insita, ad facilè unumquodq; percipiendũ & firmiter retinendum hæcq; non est Rhetoricæ pars. *Juvatur Naturalis Memoriâ* his potissimùm 7. *1mò.* bona eorum intellectione, quæ memoriâ comprehendere volumus. *2dò.* bona corporis constitutione. Unde quibus est calida & moderata cerebri temperatio, facilè percipiunt & firmitèr retinent, quibus frigida, parum capere possunt, quibus humida, facilè quidem comprehendunt, sed non diu retinent, quibus verò sicca, ægrè percipiunt, sed diu conservant. *3tiò.* moderatione potûs victûs & somni. *4tò.* animo curîs, solicitudine, irâ, timore, & cæteris gravioribus perturbationibus vacuo. *5tò.* recta eorum divisione

in

in Partes, quæ memoriæ mandantur. v.g. *Orationis si oblonga sit.* 6tò frequenti usu & diligentia legendi, scribendi & discendi. 7mò. considerata eorum repetitione, quæ memoriæ tradita sunt, præsertim si ante noctem aliquoties relegantur. Ut Pythagorici gratiâ conservandæ memoriæ antequã cubitum irent, solebant mente ea repetere, quæ toto die egissent.

Læditur autem memoria modis contrariîjs hîs potissimûm 6. *imò.* morbô gravi & diuturno. *2dò* nimio frigore & calore. *3tiò.* immoderato cibo, potu & somno diuturniore, præsertim qui fit post cibum recenter sumptũ. *4tò.* rebus crudis, ut sunt cæpe, raphanus, caseus, nuces. &c. *5tò.* ira, mærore, timore, alijsq; gravioribus perturbationibus. *6tò.* assiduâ curâ, labore, & vigilantiâ multa. Unde Galenus testatur se multos vidisse,, qui ex hausto memoriæ organo, propter continuas vigilias, omnem prorsùs memoriam amiserant.

Artificialis Memoria est, quæ confirmatur & comparatur ratione qvâdam, & Præceptorum usu.

Constat verò Locis & Imaginibus. *Per Locos intelligendi* sunt spatia seu corpora quædam, in quibus rerum à nobis retinendarũ ima-

imagines collocantur. v.g. *templum*, *arbor*, *Liber*, *Schola*, & alia his similia, quæ vocantur memoria Localis. *Per Imagines* intelligendæ sunt formæ quædam rerum illarũ, quarum meminisse volumus. v.g. *Literæ*, *chartæ*, *vocabula*, *series & ordo*.

Rursus Loci sunt 2plices: Reales seu veri & Ficti. *Reales* sunt à Natura vel ab arte facti v.g. *Urbs*, *Palatium*, *campus*, *sylva &c.* *Ficti* sunt, quos nobis ad placitum fingere licet. Imagines etiam sunt 2plices Rerum & verborum. *Rerum* sunt, quæ rem aliquam menti nostræ repræsentant.

Verborum sunt, similitudines vocis, quibus nobis, verba in mentem volumus venire.

CAPUT Unicum.

De Pronuntiatione.

PRonuntiatio est Orationis inventæ, dispositæ, ornatæ, memoriæ traditæ enuntiatio. *Estq;* 2plex: Vocis & Actionis. Vox enim aures, Actio oculos movet.

Vox est sonus certis naturæ instrumentis in ore hominis formatus, ratione & industria moderatus. Spectaturq; in Quantitare & Qualitate.

Quantitas Vocis, est moderatio quædam & intensio soni. Estq; 3plex: *Magna*, quæ latè & longè potest exaudiri. *Parva*, quæ est submissior, & minus audiri potest *Media*, quæ est inter grandem & parvam soni moderati.

Qualitas Vocis est tunc, quandò vox apta vel inepta, firma vel infirma, tarda, velox, emissa, continenti spiritu vel interrupto, sedata vehemens, clara, obscura, canora, expressa vel non expressa, lenis, aspera, mollis, gravis, acutá, vel inflexa adhibetur. Quæ varietas Quantitatis 3plicem tonum efficit, Gravem medium & Acutum. *Gra-*

Gravis Tonus est, quô pronuntiamus Orationem æquabili sedataq; voce cum moderata tarditate. *Toni hujus usus* est in Exordijs, Narrationibus, Propositionibus, in novarum partium aut Argumentationum ingressu, in expositione rei splendidæ & dignitatis plenæ, in ijsq; rebus, quæ ad docendũ potiùs, quàm ad delectandum, aut movendum valent.

Medius Tonus est ille, qui inter gravem & acutũ interjectus, efficit, ut vocè media svaviter verba pronuntiemus, & affectus moveamus. Utimur hoc Tonô cum laudamus quempiam, aut rem jucundam exponimus, vel affabilitatem præ nobis ferimus, vel blandê movemus, vel amicè hortamur, vel vituperamus cum mitigatione.

Acutus Tonus est ille, per quem Oratio magna & incitatâ voce profertur. Servit gravibus indignationibus, reprehensionibus, commiserationibus, & exclamationibus, illiq; convenit magnitudo vocis, claritas, vehementia, continuus spiritus & velocitas.

Vocis verò moderatio & varietas, verbis, Partibus Orationis, & affectibus accomodari debet.

Verbis accommodatur vox, cùm ad singulas pronuntiationes vocum respicimus, earumdem significationes considerando, diligenterq; attendendo, quid contractè, quid plenius quidve secundum tenorem dicendum.

Partibus Orationis accommodatur vox, si Exordijs adhibeatur vox sedata, comparandæ benevolentiæ & attentioni idonea. Narrationibus æquabilis. Confirmationibus verò & Confutationibus longè magis incitata, Conclusionibus seu Epilogis vehementissima.

Affectibus accomomdatur vox. Si Orator in iracundia sumat vocem acutam & crebrò incitatam, in mærore flebilem, in gaudio lætam & devotam, quod idem de cæteris affectibus intelligendum est. Sed nunquam vox ultra vires est urgenda.

Actio

Actio est totius corporis & partium ejus pro rerum animo conceptarum & affectuum varietate moderatio, consistit im motu corporis & ejus Partium principaliũ. *In motu corporis* considerandũ est, ut tota corporis statura erecta, non verò incurvata, vel in hanc, vel in illam partem consistat.

In motu Partium corporis considerandæ sunt Partes principaliores, ut sunt caput, vultus, oculi, labra cervix, humeri & manus.

Circa Caput videndum, nè nutus exhibeat frequentes, sit rectum, non verò in hanc vel illam partem dejectum, vel citra rei necessitatem nimium mobile. Non dedecet tamen aliquando, vel annuendo confirmare, vel renuendo negare, vel capitis in latus inclinatione langvoré, vel aversionem, remotionem, inclinationem, execrationem, aut concessionem, sive alios affectus significare.

Circa Vultum videndum est, ut rebus semper, de quibus sermo est conformetur. Unde si dicatur de rebus gravibus, vultus quoq; ad gravitatem totus debet esse compositus; si de tristibus ad tristitiam, si de lætis ad hilaritatem &c.

Circa oculos qui cordis legati, & animorum testes sunt, videndum ut sint maximè conformati ad affectus, pro rei necessitate. Undè aliquando torvi, aliquando mites, aliquando asperi, aliquando rigidi, aliquandò stupentes & admirabundi esse debent.

Circa labra videndum, ut modico motu verba efficiant quæ nec lingi, nec morderi nec replicari nec torqueri, nec porrigi nec diduci convenit.

Circa manus, sine quibus trunca ac debilis Oratio, potissimum sunt servanda hæc. *Imò*, ut dextra manus sæpiùs adhibeatur ad gestum, nonnunquam etiam adhibitâ sinistrâ, cum eo tamen temperamento, ut manus gestus faciens, neq; infra cingulum demittatur, neq;

supra

supra caput attolatur, nec extra latus evagetur. Sola verò sinistra rarissimè gestum exhibebit, utraq; manus nonnunquam immota quiescet, præsertim ubi nullus affectus assurgit, diuturna tamen motûs intermissio displicet. 2dò. ut aliquandò manus manui subjiciatur, præsertim si in altum exerescentem molê volumus exprimere. 3tiò. si Orator interrogabit dextram manum ad Auditores convertet paululum: si docebit, manus complicabit, & ad infra dejciet. si seipsum monstrabit, manùm dextram vel utramq; ad pectus suum convertet. Si alias res monstrabit. protensâ manu sursum aut deorsum, vel aliò conversa id faciet, prout est suprà, & infra situs rei illius, quam cupit designare, digito verò solo rarissimè utendum est, si morem alicujus exprimet, manum dextram pectori applicabit, si irascetur pugnô compressô, voce & vultu asperô utetur. Si distingvet contraria aut sententiarum membra, transferet dextram supinam in sinistrum latus, eadem mox pronâ indextrum relatâ, pollice intus inclinatiô, & 4. digitis remissis Si mitigabit animos, utetur manu pansa leniter, parvisq; intervallis mota, humeris paululùm modesteq; assentientibus. si Ironiam ostendet, utrôq; indice in latus protensô utetur, vultu paululum aversô, pro rerū tamen & affectuum diversitate gestus per manus fieri debent.

Observandum præcipuè in actione est, ut oculus manum, manus vultum & verba affectum sequantur, quod faciliùs unusquisq; ex frequenti perfectorum Oratorum observatione habere poterit, quàm ex præceptis, à quibus jam, quemadmodum & à toto opere Rhetorico, nostra abstinet manus.

FINIS.

Ad M. D. G. B. V. M. H. B. I. C. C. & V.